ADUMBRATIO PATHOLOGICA

HYDROPIS ACUTI.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ATQUE AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
A. D. XVI. CAL. APRILES A. MDCCCXX.
PALAM DEFENDET

AUCTOR
CAROLUS LUDOVICUS STACHOW
BEROLINENSIS

OPPONENTIBUS
Dr. *C. F. HOPPE ET E. SOMMER*
INSTITUTI MEDICO-CHIRURGICI FRIDERICO-GUILELMIANI PRAEFECTIS.

H. L. Q. S.

BEROLINI
TYPIS UNGERIANIS.

VIRO

CLARISSIMO EXPERIENTISSIMO

FRID. GUILEL. ROESTELL

UTRIUSQUE MEDICINAE DOCTORI ETC.

AFFINI

SUO DILECTISSIMO ET MERITISSIMO.

HAS PAGELLAS

ANIMO GRATISSIMO ET AMICISSIMO

D. D. D.

AUCTOR.

L. B. S.

Morem secutus, quo omnibus hujusmodi opusculis praemitti quaedam solent, idque meum esse arbitratus, duo potissimum, lector benevole, tibi proponam, quae ad dijudicandam hanc dissertatiunculam consideranda veniunt. Primum quae hisce pagellis legis, quum experientia propria destituar, ex observationibus virorum dignissimorum et experientissimorum, *Stollii, Bacheri, Medici, P. Frankii, Rushii, Reilii* aliorumque petii, et in morbo describendo eorum rationem secutus sum. Deinde quae generatim de hydrope acuto in dissertatione mea tradidi, non omnia in omnes hydropis species quadrare, sed modo ad plurimas

earum respondere, bene intelligo. Quod potissimum de cerebri hydrope acuto dicendum est, qui tam peculiarem et propriam recipit naturam, ut minime dogmatis generalibus in totum possit comprehendi, sed singularem requirat operam, attentionem et descriptionem. Quantum tamen fieri potuit rationem ejus habui, multaque eorum, quae praeposui, ad eum accommodari queunt.

Quam ob rem, lector benevole, enixis precibus te rogo, ut, si opusculum meum judicio tuo subjicere velis, probe consideres, studiorum meorum has esse primitias, indulgentiae ac benevolentiae tuae commissas. Si forte contigerit, ut applausu tuo me adornes, persuasum tibi habeas velim, hoc mihi fore incitamentum, quo diligentius ad litterarum studia incumbam, laudeque dignior evadam. Vale.

Caput I.

Generalia quaedam de hydrope.

Hydropis acuti definitio.

---

§. 1.

Exsudatio continua in omnibus fit corporis humani cavis et in tela mucosa, quae autem, cum integro corpore sub vaporum forma existat, examen chymicum, nisi jam in liquorem coiërit, non facile admittit. Cui vero exhalationi resorptio ita respondet, ut inde non oriatur morbus; sublato hoc aequilibrio quacunque in parte, ob fabricam ad haec idonea, major laticis copia colligitur, quo facto illi inducuntur morbi, quibus *hydropum nomina* imposuere medici. Quae quidem denominatio maxime congruit, quippe quae a systematum vicibus eorumque rationibus, mutabilitati quam maxume obnoxiis, non dependet, et curanti medico in omnibus exemplis signum, quo statim cognosci et ab ceteris dignosci possit, suppeditat, neque impedit, quominus ille juxta ceteras morbi rationes medelam dirigat.

§ 2.

A vetustissimis inde temporibus medici in hydropis differentiis exponendis ad locum, quo latex confluat, respexere et ita *morbi species* constituere. Neque negabis magni ponderis esse hanc loci rationem in hydrope quum cognoscendo tum curando. Quantum differunt hydrocephalus et hydrops abdominis, hydrops pectoris et intercus! — Attamen non sufficit haec divisio aliasque addere oportet. Etenim si per cognitionem, quae de morbi hujus natura nobis contigit, licet, divisio prae ceteris secundum indolem ejus internam subjicienda est. Unaquaeque corporis affectio gravior ac vehementior quaestionem nobis obtrudit, an morbus, signis pathognomonicis ceteroquin paribus, diversis et vix non contrariis virium rationibus occurrat? utrum hypersthenicus an, mutata vice, asthenicus esse possit? Si quis enim in pathologia versatus falsum de hac quaestione fert judicium, facile medicus in errores conjicitur, quas natura gravi vindicta persequitur.

Quae si quaestiones ad hydropem applicantur, dubitationem non recipiunt; neque peritissimus et exercitatissimus quisque eorum opinioni accedere potest, qui omnibus sub conditionibus hydropem asthenicum credunt [1]). Et medici, repudiata illa opinione praeconcepta, experientiam secuti, hanc diversitatem haud raro quidem sed satis crebro observarunt. A viris dignissimis medicinam expertis recentioris aevi de hydrope activo et praecepta et observationes nobiscum communicatae sunt. Horum potissimum sunt:

---

1) *Knebel* Grundsätze der Kenntnifs der Wassersuchten im Allgemeinen. Breslau 1801. pag. 58 et seq.

Fr. *Hoffmannus* [1]), *Donaldus Monrous* [2]), *Stollius* [3]), *Bacherus* [4]), Cas. *Medicus* [5]), *Burserius* [6]), *Rushius* [7]), *Cullenius* [8]), *P. Frankius* [9]), *Harlesius* [10]), *Abercrombieus* [11]), *Gairdnerus* [12]) et *Twedieus* [13]). Hydropem autem asthenicum hypersthenico multo crebrius a medico observari facili negotio patet, dum consideremus, quam saepe hic morbus sit secundarius, ex aliis mor-

---

1) *Fr. Hoffmanni* medicinae rationalis systematicae pars quarta. Cap. XIV. pag. 453 et observatio IX. — Ejusque in operibus omnibus. Tom. III. Cap. XIV. pag. 332 et 338.

2) *Donald Monro* von der Wassersucht, aus dem Engl. verdeutscht von Ch. Krause. Leipzig 1763. pag. 64. §. 27.

3) *Stoll* praelectiones in diversos morbos chronicos. Edit. Eyerel. Vindebonae 1788. pag. 52. — Et ejus rationes medendi in nosocomio pract. Vind. Tom. III. pag. 300 et seq.

4) *Bacher* Untersuchungen über die langwierigen Krankheiten, besonders über die verschiedenen Arten der Wassersuchten p. p. s. d. Franz. Stettin 1781. pag. 182.

5) *Fr. Cas. Medicus* Sammlung von Beobachtungen. Zürich 1776. pag. 387.

6) *Burserius* inst. med. Lipsiae 1798. Vol. II. pag. 81 et Vol. IV. pag. 108 et 176.

7) *Benjamin Rush* neue med. Untersuchungen, aus d. Engl. p. p. Nürnberg 1797. pag. 160 et seq.

8) *Cullen* Anfangsgründe d. prakt. Heilk. Leipzig 1800. IV. Band. §. 1655 et seq. et pag. 226.

9) *P. Frank* de curand. h. morb. epit. Tübingae 1809. Lib. VI. §. 734 et seq.

10) *Ch. Harles* opera minora academica medici, physiologici et antiquarii argumenti conscripta. Lipsiae 1815. (tractatus de hydrope inflam.)

11) *Abercrombie* s. d. Engl. in Hufelands Journal der prakt. Heilk. 1819. Stück IV. pag. 119.

12) *Gairdner* ibid. 1819. Stück III. pag. 110.

13) *Twedie* ibid. pag. 113.

bis corpus maxime labefactantibus et infestantibus enatus, qui subinde ultimo diuturniorum morborum stadio adjiciatur, et homines in vitae discrimen vocatos auferat.

Aliae hydropis diversitates ex laticis extravasati indole, ex modo quo accumulatur, ex morbi decursu petuntur, et ita hydrops varia recipit cognomina: datur nempe hydrops serosus, lymphaticus, urinosus, lacteus, purulentus; dependens, saccatus, cysticus, hydatideus, vagus, fixus; chronicus et acutus [1]).

§. 3.

Quamquam et morbi spatium et decursus haud raro magis ad fortuita quam necessaria et graviora referenda sint, et eorum ratio ab externis interdum sistatur, permultis tamen in casibus non nullius momenti, et quibus divisionis fundamentum superstruatur digna sunt. Itaque nos ad hanc usque diem veteres medicos secuti, morbos in duas classes majores, in chronicos et acutos, diduximus, quin alii praeter haec inter longos et breves distinxerunt, et acutos nuncuparunt, qui majus periculum quam breves portendunt [2]). Hydropem optimo jure auctores

---

1) *Haase* über die Erkenntnifs und Kur der chronischen Krankheiten. Leipzig 1818. B. III. p. 448. — *Frank* l. c. Libr. VI. p. 139.

2) *Hos autem (singulos morbos) in duas species graeci diviserunt; aliosque ex his acutos, alios longos esse dixerunt. — — Quidam enim breves acutique sunt, qui cito vel tollunt hominem, vel ipsi cito finiuntur. Quidam longi, sub quibus neque sanitas in propinquo, neque exitium est. (Celsus* de medicina. Edit. Krause. Libr. III. Cap.

in chronicis posuerunt, cum utplurimum decursum chronicum servet, formamque chronicam atque naturam sibi adsciscat, et sine febre incipere soleat. Sed varietatem subjiciunt, quam *hydropem acutum* vocant. Qui enim acutus intra breve temporis spatium excolitur, in quo humorum extravasatio celeriter fit [1]), quique ex more cum febre vel statu saltem acuto inflammatorio topico intime conjunctus est [2]). Proinde rapida morbi evolutio et dijudicatio, ut brevibus dicam, decursus, qualis morborum acutorum esse solet, quem vero generatim non satis dilucidare licet, praecipue ad constituendam hydropis acuti notionem conferunt. Acutus itaque hydrops neque inflammatorius morbus semper habendus, neque denominationes hydrops acutus et inflammatorius omnino synonyma sunt, siquidem etiam ex morbi diagnosi apparebit, eum non semper morbum inflammatorium, sed aliis quoque conditionibus obvium esse.

Cap. I.) — *Reil* Entwurf einer allgemeinen Pathologie. Halle 1816. B. II. pag. 152.

1) *Haase* l. c. pag. 442. — *Reil* über die Erkenntnifs und Kur der Fieber. Halle 1799 — 1805. B. II. pag. 294. 517.

2) *Frank* l. c. Libr. VI. pag. 139.

Caput II.

Causae morbi recensentur.

§. 4.

Persaepe, ut supra posui, hydrops est secundarius; tum chronicae tum acutae corporis humani affectiones praeter permultas externas causas eum inducere valent. Proxime quidem mihi propositum est, ut causas, quae hydropem acutum potissimum producunt, indicem. Sunt autem nonnullae communes, quae et acuto et chronico viam munire possunt. Quae cum ita sint, me paucis tantum oportet causarum ad omnem hydropem disponentium mentionem facere, et deinde explicare, quales earum speciatim ad acutum referri debeant.

Diaeta prava, vapida et insipida, vita sedentaria, ex qua circulationi liberae impedimenta objiciuntur et laesa concoctio aliaque mala originem ducunt et magis magisque excoluntur, aeque humorum seroso-lymphaticorum accumulationi favent et hydropem arcessunt. Pathemata animi deprimentia, moerorem, anxietatem et similia, dum totum corpus extenuant et debilitant, ad hydropem provocandum, nec non ad alios morbos adynamicos, conferre, neminem fugit. Injuriae organis secernentibus illatae, potissimum iis, quae ad humores seroso-lymphaticos e corpore eliminandos inserviunt, causas ad hydropem disponentes sistunt, cum aequilibrium inter hos et ceteros latices tollant. Quibus ex rationibus quae non tam celeriter cutis secretionem supprimunt, quam, vitam cutis exhauriendo, ejus

functionem lente et sensim sensimque destruere valent, potissimum dispositionem ad hydropem postremo in ipsum morbum transeuntem suggerunt. Inde hoc malum hydropicum in regionibus et sub coelo illas noxas in corpus ingerente multo crebrius quam in aliis locis grassari observatum est. Iisdem de causis labores et opeficia quaedam, sub quibus homines continuo fere in humidis versantur et refrigerio exponuntur, ad hunc morbum idoneos reddunt; quinimo humida habitacula aeque causam disponentem et occasionalem et sanationis impedimentum permultis de plebe praebent. Usitatum vero et uberiorem hydropis fontem plurimi morbi tum chronici tum acuti suppeditant, ii potissimum, qui vel omne corpus vel singulas ejus partes et systema aliquod, licet prae ceteris lymphaticum, debilitant atque corrumpunt: scrophulosis, syphilis, asthmata, phthises, tabes et profluvia varia, tum serosa tum sanguinea, aliique similes morbi interdum hydropem efficiunt [1]).

Neque praetermitti oportet vitia in fabrica, potissimum cordis majorumque vasorum. Impediunt nempe et intercipiunt sanguinis circuitum, et multifarias producunt stagnationes [2]): hinc hydropis causae et proegumenae et procatarticae evadunt. Nec negligenda est corporis constitutio connata, vel imo haeriditate accepta, laxa, mollis et phlegmatica, quae ad hydropem atonicum proclivitatem impertiunt. Contra autem et habitus nimis sensilis, ad spasmos concinnandos pronus, eundem effectum exserere potest [3]), qui spasticam vel erethicam naturam refert.

---

1) *Frank* l. c. Libr. VI. pag. 319.

2) *Kreysig* die Krankheiten des Herzens systematisch bearbeitet. Berlin 1814. Vol. I. pag. 213, 383 etc.

3) *Haase* l. c. pag. 449.

Denique scire licet, aetatem et sexum alterutrum hac dispositione stipari. Pueri, senes mulieresque crebrius quam viri, quibus aetas et robur viget, hydrope corripiuntur; non quo omnino ad morbos opportuniores sint, sed quo praesertim hydropis origini corporis natura amica sit [1]. Pueri propter laxam fabricam, incitabilitatem praevalentem et energiam pro ratione debiliorem. — Senilis vero aetas juvat hydropem, quippe qua conditiones plurimae sanguinis aliorumque humorum circuitum liberum praepediendes suppeditantur, siquidem facile vitia oriantur in fabrica et cutis potissimum actio secretoria offendatur. Praeterea ob vim vitalem diminutam ad malum corporis habitum senibus major quam ceteris aetatibus est proclivitas. — Puerili simile corpns muliebre: hydrogenio magis pollet, sensilius est ac tenuiori energia quam virile; fibra laxior, corporisque functiones propensitate quadam ad nova producenda maxime feruntur; statu integro humoribus abundat, quos natura extra graviditatem brevissima et commodissima via, mensium profluvio, expedit. Quibus profusionibus bene congruentibus injuria vel externa vel interna infractis, praeter alios et diversos morbos pro foeminarum natura modo comprehensa, sat facile hydrops nascetur; id quod experientiae testimonio confirmatur [2].

§. 5.

Expositis quae ad causas et rationes hydropis disponentes generatim spectant, protinus sub-

1) *Fr. Hoffmanni* opera omnia. Tom. III. pag. 329. — *Sydenhami* opera medica. Tom. I. Genevae 1757. pag. 333. — *Frank* l. c. pag. 319. — *Stoll* in praelectionibus p. 53.

2) Vide *Authenrieth* Theorie der Anatomie in Reils und Authenrieths Archiv für die Physiologie. B. VII. p. 1.

jungam, quae prae ceteris acutum praeparent. — Morbus hic acutus intra exiguum temporis spatium gignitur, celeriter increscit, nec minus celeriter curae idoneae et valentiori interdum cedit. Qui huncce decursum servant morbi, minus saepe quam ceteri a dispositione peculiari dependere solent. Prostant in diariis medicis exempla, homines integerrimos, robustos et firmos, quorum corpori nulla inhaesit ad hydropem praedispositio et ratio vitae praeterea bona fuit, potentia externa vehementius correptos, in hydropem acutum esse conjectos[1]. Ubi tandem hisce in casibus vel causa praedisponens vel dispositio ipsa ad hydropem datur?

Verum enim vero alibi dispositio, cui hydrops acutus luculenter originem debuit, erui potest. Quocirca, cum hoc modo res optime illustrari videatur, exempla recognoscam in quibus nascitur hydrops acutus, operamque dabo, ut ostendam, quo jure et probabilitate dispositionem in illis accipere liceat.

§. 6.

Hydrops acutus alicujus inflammationis exitum, saepenumero vitae terminum sistit, phlogosin sequitur.

Omnis inflammatio jam per se, et potissimum organorum molliorum, spongiosorum, e. g. pulmonum, cum fibrae sanguinis, lymphae, seri, et in rarioribus exemplis ipsius sanguinis extrava-

---

1) *Sauvages* Nosologia methodica. Amstelodami 1763. Pars II. pag. 300. Obs. Dr. *Broussounetii.* — *Schmidtmann* in Hufelands Journal p. p. B. III. pag. 521. — *Stoll* in praelect. pag. 54. — *Horn* in seinem Archiv f. med. Erfah. 1816. pag. 264.

satione conjuncta est, unde quadantenus partis tumor inflammationi subjectae originem petit [1]. Cadaveribus incisis partes illae eandem ob causam graviores quam in statu naturali deprehenduntur, nec fragmenta pulmonum excisa aquae innatant. Hae vero materiae inducta solutione resorbentur, et quibusdam in inflammationibus deinde ejiciuntur. Neque alienum videtur, *Reilii* [2]) sententiam amplecti, qui sub discussione pneumoniae harum materiarum partem per sputa expelli asserit.

Hac ab exsudatione discernitur ea, quae in altiori inflammationis stadio celeriter, cum impetu, sat copiose evenit, qua quod effunditur haud coagulatur, sed liquidum persistit. Haec quidem hydropem acutum constituit. Pro alio inflammationis exitu, vel in solutionem, vel suppurationem vel sphacelum, malum jam commemoratum incursat, et pro solutione imperfecta habendum est. Quae si accidit status quidem vere inflammatorius remittit, neu vero credas, aegrotum sese expedivisse atque salvum evasisse [3]). Tanta interdum cum celeritate atque atrocitate haec laticis effusio irruit, ut medicus vita adhuc superstite eam non cognoscat, sed cadavere inciso demum perspiciat [4]). Contra in aliis corporibus duodecim ad viginti quatuor horas ante obitum hydropis acuti signa sese jam manifestant, et rarius evenit, ut longius ante quam aeger exspirat anim-
[illegible] adver-

1) *Reil* Fieberlehre. B. II. pag. 238 et seq.

2) Ibid. pag. 276 et 519.

3) Ibid. pag. 294. — *Frank* l. c. Libr. II. pag. 10, 11, 20 et 21. — *Kreysig* l. c. B. II. pag. 439.

4) *Stoll* in rat. med. Tom. III. pag. 54. — *Frank* l. c. Libr. II. pag. 133.

advertantur, quinimo morbus fere chronici instar decurrit [1]).

Humores his sub circumstantiis depositi ex more *indolem* magis lymphaticam quam serosam *exhibent;* praeterquam quod miculas repraesentant, ex parte coagulati sunt, et iis sanguinis fibram inesse satis luculenter testantur [2]). Saepe purulentam vel lacteam praebent speciem, vel sanguine sunt commixti et foetent. Sub his et singulae organi partes exulceratae, crassae et rarefactae, vel sphacelosae, vel vicinis adglutinatae inveniuntur. Vix unquam organon, cui inflammatio insedit formae et speciei fere normalis sine illius vestigiis sub oculos cadit, quamvis historia morbi praecedentem inflammationem supponi jubeat. Hae differentiae in cadaveribus obviae, tam ex inflammationum natura et organi functione ac indole, quam ex corporis habitu promanare videntur. Partes serosae inflammationem expertae plerumque humorem praestant seroso-lymphaticum, qui turbidus et flocculis intertextus esse solet, quamvis interdum etiam sanguinolentus seu loturae carnis similis inveniatur. Quae fortasse ex majori minorive inflammationis gradu repetenda sunt. Post encephalitidem latex extravasatus utplurimum pellucidus ac tenuis; in pericardio modo aeque limpidus, modo valde floccosus et cordis et pericardii paginae lymphae coagulabilis instar inhaerescit, interdum sanguineus est [3]). Exsudata, quae febri

---

1) *Pujal* in Richters chir. Bibliothek. Vol. XI. p. 468. — *Joh. Sidern* in d. Sammlung auserles. Abhand. f. prakt. Aerzte. Vol. XIV. pag. 567.

2) *Reil* Fieberlehre B. II. pag. 515. — *Hewson* pathol. Bemerk. über d. Syst. d. lymph. Gefäfse in der Sammlung auserles. Abhand. Vol. IX. pag. 247.

3) *Kreysig* l. c. B. II. pag. 76, 77, 436. — *Sidern* l. c.

Mar-

puerperali inflammatoria conflari solent, coloris et odoris lactei, valde floccosa sunt, et sedimentum in intestinis relinquunt. Tales vero exsudationes hisce inflammationibus non propriae sunt, et experientissimus *Frankius* [1]) has materias quoad mixtionem non alias, ac ceteris in inflammationibus et utroque in sexu occurrant, examine chymico se obtinuisse affirmat. *Reilius* (in pyretologia l. c.) sanguinem, sanguinis fibram et lympham in pneumonia reactione aucta, diminuta vero sanguinis serum exsudari docuit [2]). Prout natura varia est laticis, etiam copia differt; nonnunquam parca redditur, interdum permagna, ad sex, octo, decem libras.

Saepissime in cava, quibus organon inflammatione correptum continetur, humor descendit. Unde aqua post pneumoniam plerumque in pleurae saccis, post intestinorum phlogosin in peritonaei sacco observatur. Aut si organon ipsum sinus habet, hi quoque aquam recipiunt, ut in hydrocephalo acuto; aut, quod aliquanto rarius accidit, peritonaeum vel pleura inflammata a musculis divellitur, et saccum in cavum demissum latice refertum constituit [3]). Tunicam hepatis externam a parenchymate disjunctam, et inter illam et hoc aquam se reperisse *Frankius* [4]) tradit. Deniqne in parenchymate ipso, in tela

---

Martin in Richters chir. Bibliothek. Vol. I. St. 4. pag. 23. — *Stoll* rat. med. Tom. III. pag. 314. — *Frank* l. c. Libr. II. pag. 133, 176, 177. 195, etc. — *Horn* l. c. pag. 272. — *Morgagni* d. caus. et sed. morb. Epist. XVI. art. 17. Epist. XX. art. 35, 36. Epist. XXI. art. 25.

1) l. c. Libr. II. pag. 196.

2) conf. *Haase* l. c. §. 327.

3) *Reil* l. c. B. II. pag. 536.

4) l. c. pag. 278.

cellulosa, humor congeritur, qui sanguine imbutus immisso ferramento emanare solet. Talia potissimum exempla post pneumoniam a medicis observata sunt [1]).

Post cujuscunque fere partis inflammationem hydrops oriri potest. Exempla ejusmodi post encephalitidem, pneumoniam, enteritidem et peritonitidem frequenter occurrunt. *Frankius* [2]) hydrophthalmi acuti ex inflammatione profecti mentionem fecit, et *Warnerus* [3]) memoratu digna de hydrocele acuta prodidit, quae ex testis syphilitica inflammatione originem duxit. Non autem, duce experientia, omnes inflammationes aeque exitum hunc amant, quaedam solummodo in acutum hydropem terminantur. Idque prae ceteris e cerebri, pulmonum et pleurae, cordis et pericardii, nec non peritonaei et intestinorum phlogosi evenit; quae vero renes et hepar et lienem aliaque obsident organa, rarius ad illum exitum feruntur. — Quibus propositis ad ea, quae exitum hunc inflammationis juvant, veniendum est, quorum plura, si jungantur, forte efficiunt, ut affectio inflammatoria non alio modo finiatur.

Ante omnia organa affecta hic respicienda sunt, et a *fabrica* eorumque *functione morbi origo pendeat* necesse est. Iis in partibus, quae secretionibus seroso-lymphaticis praesunt, et in quibus systema seroso-lymphaticum reliquis tum dignitate tum ambitu praecellit, ceteris paribus, facilius quam aliis in organis hydrops acutus nascetur. Istiusmodi sunt praeprimis tu-

---

1) *Reil* memorabilia clinica. fasc. III. pag. 127. — *Horn's* Archiv p. p. 1815. pag. 654.

2) l. c. §. 151.

3) in Richters chir. Bibliothek Vol. III. pag. 256.

nicae seroso-cellulosae [1]. Hinc crebra acuti hydropis cerebri origo, ubi tunicae ejus, potissimum arachnoidea [2]), vel simul sunt affectae, vel solae detinentur, repetenda est; hinc etiam frequenter hydrops acutus post pleuritidem, post carditidem et pericarditidem irruit.

Aetatem puerilem in genere hydropem allicere jam supra a me dictum est, quod quidem potissimum ad hydropem acutum referri volo. Pueris species encephalitidis quaedam est, quae pueris fere propria esse videtur, propterea quod iste hydrocephalus acutus in adultis vix unquam animadvertitur [3]). Quae affectio inflammatoria, nisi ipsa discutitur, semper exsudationem inducit, et ita pueros ex medio tollit. Sub tempus, quo elaborantur et prorumpunt dentes, infantes praeprimis huic malo patent, quamvis compertum habemus, nonnullos ante sextum vitae mensem et post septimum annum, quin etiam ad perfectam usque cerebri evolutionem extingui. Modo e corporis organique correpti habitu et temperie inflammatoriae affectionis indoles derivari potest: nam in infante systema seroso-lymphaticum ceteris praestare, et encephali magnitudinem aliis partibus non parum praevalere non ignoramus; inde ei major sanguinis copia quam ceteris organis advehitur. Hic affluxus dentibus prorumpentibus encephalique ipsius evolutione procul dubio augetur. Neque negligere oportet, corpus pue-

---

1) *Bichat's* Abhandlung von den Membranen in Reils Archiv f. d. Physiolog. B. V. pag. 189—198. — *Burdach* Physiologie. Leipzig 1810. §§. 335. 337. 360.

2) *Bichat* l. c. pag. 248.

3) *Harles* l. c. pag. 387. — *Frank* l. c. Libr. VI. pag. 181 et 182. — *Fotergill* (test. Murray) in Rosensteins Anweisung zur Kur der Kinderkr. Göttingen 1787. pag. 603.

rile valde irritabile esse et sensile, ideoque nervosi systematis laesiones gravibus ejusdem affectionibus excipi.

Et haec quidem aetati puerili communia sunt. Datur autem dispositio quaedam ad acutum hydrocephalum connata, cui causae graviores, quam quas recensui, subsunt. Et haec dispositio connata praeter diligentissimam et optimam circa infantes curam efficacem se praestat, et auctoritate peritissimi *Formei*[1]) lata et peculiari capitis forma medico se conspiciendam praebet. Parentum quorundam liberi interdum omnes per eam in hydrocephalum conjiciuntur; quae quidem observationes tanti ponderis et constantiae sunt, ut diagnosis non nihil juvetur, si ambiguis in exemplis e fratrum numero unus vel alter hoc morbo laboravit vel interiit. Nec exempla desunt, infantes esse servatos, qui a matrum mammis abstenti in curam nutricum tradebantur. *Frankius*[2]) de viro integerrimo exposuit, qui, quum quartam duxisset uxorem, quae sana et firma esse videretur, quinque infantes hydrocephalo obnoxios genuit, ceteris novem, (quod notatu est dignissimum) quos ex prima uxore procreaverat, vivis adhuc atque integris. Pathologiae cultori lata hic patescit area, aliqua ex parte jam trita, quam ad illustrandam hujus proclivitatis ad hydrocephalum naturam persequatur. Unde fieri non posset, quin eximius medico redundaret fructus, quippe cui aegrotorum curam prophylacticam ad haec instituere liceret. Quae quum saepius ac interdum satis ingeniose sint agitata, lectoris animum ad eorum scripta compello.

---

1) *Formey* von der Wassersucht der Gehirnhölen. Berlin 1810. pag. 5.

2) *Frank* l. c. Libr. VI. pag. 337.

Cerebri autem non modo affectio inflammatoria ad hydropem apud pueros magis quam apud adultos spectat, sed aliorum quoque organorum, quod maxime de pectoris organis dictum erit [1]).

Ut aetas infantilis et puerilis exitum inflammationis in hydropem juvat, ita et *puerperium* et *corporis ex graviditate habitus*. Febris puerperalis, si vera est inflammatio, qualis quidem genuina semper videtur, post mortem exsudationes, de quibus antea retuli, saepius quam alia phaenomena portendit. Dantur quidem exempla, tales exsudationes extra puerperium esse congestas, quae tamen, si ad eorum numerum tenueris, quibus puerperium ut causa subest, et quae diversissimis curandi methodis superveniunt, longe sunt rariora. Quae cum ita sint, per se patet, puerperium et habitum corporis, qualis in graviditate est, dispositionem hanc ad hydropem elaborare. Ubi scilicet mulier uterum gerit, plurimae secretiones alias multum humoris eliminantes parcius vel nihil procedunt: ex more menstruatio protinus cessat, excretio alvina plerumque minus humoribus est imbuta quam citra graviditatem, neque raro cutis secretio haud congrua est et legitima, siquidem permultae mulieres inter graviditatem neque procedunt neque exercitationibus utuntur, sed diem in cubiculo inter desidia consumunt. Huc accedit, quod multis concoctio infirma est, circulationi plura quam extra graviditatem impedimenta objiciuntur, itaque humorum depravationi causa suppeditatur, et denique uteri gravidi extensione laticum accumulatio in abdomine effici potest.

Natura vero inter puerperium sine artis au-

---

1) *Harles* l. c. pag. 387.

xilio illas noxas removet, novas vias, inprimis lactis et lochiorum secretionem, aperiendo. Si tamen aliqua e causa febris nascitur puerperalis, qua impeditur natura, quominus effectus salutares praestet, haud improbabile est, hunc statum inflammatorium facilius quam aliis sub conditionibus talem exsudationem conflare.

Quamvis haec omnia maxime consideranda veniunt, experientia tamen nos docet, nec unamquamque partium serosarum inflammationem, nec quae infantibus vel puerperis supervenit, usque, nisi solvatur, in acutum hydropem terminari. Fieri igitur non potest, quin alia praeter ea quae ante posui, ad morbum hunc condendum faciant. Ex quibus mihi prae ceteris *inflammationis* ratio, ejus *natura*, maxime in censum venire videntur. Omnis autem inflammatio asthenica per se magis quam hypersthenica ad exsudationes prona est. Partis cujuslibet inflammatione typhode subactae moles, ceteris paribus, major evadit, quam ex hypersthenica; tumor laxior minusque tensus et adstrictus sub tactu animadvertitur; et si organon labefactatum secretioni praeest, haec manente inflammatione, quae inde humidis adnumeratur, plerumque intenditur [1]); neque vasa tanta cum strenuitate, quanta in activis, humorum impetum arcent atque repellunt. Quibus de rationibus mihi haud improbabile videtur, omnem sic dictam asthenicam inflammationem per se ad hydropem acutum provocandum procliviorem esse quam hypersthenicam; cui quidem opinioni sequentibus haud mediocris verisimilitatis species adjicitur:

Primo in inflammationibus vere hypersthenicis exitus ille propterea arcessi potest, quod tum

---

1) *Reil* Fieberlehre B. II. pag. 260.

nimium detrahitur sanguinis *), tum ejus non satis mittitur aliaque antiphlogiſtica negliguntur [1]).

Dein pneumonia notha et febris puerperalis, quae facilius aliis inflammationibus naturam typhodem contrahunt, nisi jam ab initio id generis fuerint, in hydropem acutum potissimum finiri consuerunt **).

Tum status cerebri morbosus, hydrocephalo infantum acuto praevius, certo dubitari potest, quin inflammationum hypersthenicarum indolem ex toto prae se ferat, sed illarum magis, quas strictissime *Reilius* [2]) typhodes nuncupat.

Omni deinde cum typhode inflammatione sanguinis, maxime venarum, stagnatio conjuncta, et vasorum energia est debilitata; vasa igitur serosa minus humorum extravasationem impediant, et facilius quam sub inflammatione synochica exsudationem concedant necesse est [3]).

---

*) De Haenius in pneumonia nimia venae sectione hydrothoracem sibi conciliavit. (test. Stollio in praelect. pag. 79.)

1) *Horn* in seinem Archiv 1816. pag. 272. — *Frank* l. c. Libr. II. §. 131. — *Reil* l. c. pag. 295. 515. 516. 621.

**) *Cappel* (de pneumonia typhode sive nervosa. Goettingae 1799. §. 46.) haec habet: *Aliter res se habet in inflammationibus passivis, in his languent quum omnium organorum, tum quoque resorbentium actiones, ideoque effusum serum remanet. Quae cum ita sint, hydrothoracem pneumoniae typhodis effectum esse nec nisi ex ea existere censeo, id quod etiam causae, quae eam gignunt, probare videntur.*

2) *Reil* (Fieberlehre B. II. pag. 259.) ait: in Synocha et incitabilitas et organi aegrotantis energia auctae sunt; — (pag. 525.) in typho organi febricitantis energia diminuta est, incitabilitas vero aucta; — (pag. 262.) in paralysi vasa affecta vel partim vel penitus vires suas vitales, incitabilitatem et energiam, amisere.

3) *Harles* l. c. pag. 381.

Quibusdam causis inflammationes ex more typhosae succedere solent. Hoc potissimum evenit ex laesionibus externis, ab ictu, plaga, contusione et vehementi extensione; praeterea corpora a syphilide, scrophulosi oppressa, et morbis vel aliis injuriis enervata typhosas inflammationes creberrime perpetiuntur. Phlogoses vero hac ratione obortae saepenumero profusa exsudatione et hydrope circumscribuntur [1]).

Denique medela, quae ceteris hactenus in curanda hacce hydropis specie praecellit, inflammationes passivas prae reliquis exitus hujus esse amantes testatur. Utplurimum, *Reilius* [2]), hydrops inquit ex pneumonia acutus incitantia postulat, senegam, squillam, arnicam et similia. Febris hydrocephalica, exsudatione perfecta, remediorum usum, quae resorptionem specifica vi adaugere possunt, et validissima irritantia, setacea, vesicantia etc. simili modo agentia requirit.

§. 7.

Haec est una hydropis acuti ad inflammationem ratio, neque unica. Nunc potius verba faciam de eo *hydrope*, qui *juxta statum inflammatorium vel inflammationi similem nascitur, et magis activus nec pro exitu inflammationis habendus est.* Causas igitur expositurus sum *hydropis* sic dicti *inflammatorii* [3]) seu *febris hy-*

---

1) Conf. *Rush* l. c. pag. 206. — *Reil* l. c. pag. 261. — *Harles* l. c. pag. 394. — *Ch. Wilh. Hufeland* über die Natur, Erkenntnifs und Heilart der Skrofelkrankheit. Jena 1797. pag. 380.

2) l. c. B. II. pag. 604.

3) *Harles* l. c. — *Haase* l. c. pag. 345.

dropicae Casemiri Medici [1]. — Quod hydropum discrimen pro diagnosi et medela grave est, et strictam necessario requirit separationem. Apud auctores hoc de hydrope plurima leguntur, et novissimis potissimum decenniis ejus causae acutiori ingenio sunt pervestigatae. In §ho 2. praeter permultos alios scriptores infra recensendos plures jam adduxi, a quibus observationes et adnotationes circa hydropem activum nobis prostant, quarum quaedam huc quadrant.

Iste vero hydrops acutus, quem, reliquis speciebus contrarium, *activum* nominare liceat, ex his maxime nascitur causis:

Principem inter eas *refrigerium vehemens et subitaneum* teneat locum; et maxime quidem aestuanti corpori inimicum est, sive largo et temerario frigidorum potuum usu, sive aeris perflatu sive alio modo inducatur. *Sauvagesius* [2] exemplum a Broussonnetio observatum enarrat, quo rusticus, messe facta, sub vesperam sanus recubuit, altero autem mane propter corporis intumescentiam surgere non potuit; examinato aegroto patuit, eum super stramine in loco humido dormivisse. *Stollius* [3] post crebrum et immodicum frigidae usum, dum corpus sudaret, hydropem acutum intra paucas horas coortum se in messore animadvertisse affirmat. *Abstrophius* [4] oedema manuum, capitis et brachiorum, eadem via inductum, vidit; nec non *Platne-*

---

1) *Medicus* kurze Lehrsätze von dem Entzündungsfieber und dessen Kurart. Frankfurt und Leipzig 1762. pag. 37.

2) Nosol. method. Tom. II. pag. 300.

3) in praelect. pag. 54.

4) in der Sammlung auserles. Abhand. p. p. B. XIV. pag. 324.

rus [1]) et *Mohrenheimius* [2]) hydropis tunicae vaginalis testiculi acuti a refrigeratione conflati mentionem fecere. *Mezlerus* [3]) exemplum memoratu dignum nobiscum communicavit, quo scilicet sub rheumatismo brachium dextrum oedemate obsessum, et, aqua ex eo discussa, enormem in molem tota lingua intumuit, qua latex relicta in naturalia descendit, unde tandem antimonii usu penitus propulsus est. Corpora, quibus hac via hydrops supervenire solet, persaepe robusta, lacertosa et succi plena et aetatis vegetae sunt [4]).

Praeter refrigerium *alii morbi* largum hydropi acuto et activo fontem praebent. Maxima horum morborum pars ejusmodi est, ut per se cum systemate seroso-lymphatico commercium habeat; quod cum ita sit, citra dubium in id efficax est, ut processus morbosi subsequentes eo facilius cum hydropica exsudatione coeant. His morbis adnumerandi sunt:

Arthitis [5]) quando phaenomenis inflammatoriis, erysipelatosis sese manifestat, id quod sub accessionibus legitimis semper fere accidit. Arthritis vero, quod neminem fugit, e partibus articulorum ligamentosis et membranaceis, quibus ex more insidet, ad cutem transire ibique tumores oedematosos et dolentes efficere valet. Vel arthritis ceu anomala et retrograda ad internas

---

1) *J. Z. Platneri* opusculorum Tom. I. Lipsiae 1758. p. 366.

2) *Mohrenheim* Beobachtungen verschiedener chir. Vorfälle. Dessau 1783. B, II. pag. 125.

3) *Franz Mezler* von der Wassersucht, eine gekrönte Preisschrift. s. d. Lat. Ulm 1787. pag. 20.

4) *Abercrombie* l. c. pag. 122.

5) *Harles* l. c. pag. 393.

incumbit partes, iisque in locis producit inflammationem metastaticam [1]), quae eo facilius signis hydropicis conjungitur, quo magis organi affecti fabrica et aegroti constitutio aquae accumulationi favet. — Neque non commemorari oportet, hasce inflammationes, ut alias similes, hydropem acutum ceu exitum contrahere posse, quod haud minus saepe fieri licet, quam hydrops cum inflammatione gressum aequalem servat. Nec medicorum quemquam praeteribit, homines arthritide diu vexatos per hydropem chronicum saepenumero fatis suis perfungi *).

Exanthemata, et *acuta* et *chronica*, huc etiam spectant, quae, si eorum impeditur decursus, tum chronicum tum acutum hydropem producunt.

Praeter alia *febris scarlatina* inter morbos secundarios plurimos hydropem quoque ostendit. — *Tumor vero iste*, refert *Burserius* [2]), *quo corpus inflari et turgescere dixi, duplex esse consuevit, alter, ut ita loquar, calidus, alter frigidus;* quam et gravis momenti differentiam in epidemia, anno MDCCXVII grassante, a florentinis medicis primo observatam esse tradunt. *Frigidum*, pergit auctor, *eum voco, qui veri oedematis, aut anasarcae speciem refert, et albus, et mollis, et aquosus, et nequaquam tactui calens apparet, et cum debilitate totius corporis* — —

---

1) Vidi *Reil* Pathologie. B. II. pag. 14. — *Sprengel* institutionum med. Tom. III. Amstelodami 1813. §§. 97 et 98.

*) De hydropum ad arthritidem varia ratione, et quomodo illi arthritide regulari exculta sanati sint, potissimum evolvenda est *Musgravii* dissertatio de arthritide symptomatica. Edit. nova Genevae 1757. Cap. IV. pag. 16 et seq. in Thomae Sydenhami op. med. Tom. II.

2) *Burserius* l. c. Vol. II. pag. 81.

— *pulsu humili, languido, non duro, neque febri conjungitur: contra calidum, qui magis ad leucophlegmatiam accedit, et durus est, et renititur — — stipaturque pulsu duro, crebro, celeri et febrili.* — — Cujus discriminis maxima recentiorum de scarlatina scriptorum pars aeque mentionem fecit. E *Plencizii*[1]) scarlatinae descriptione satis constat, ei utramque hydropis speciem innotuisse; nec minus *Kreysigius*[2]), se hydropem post scarlatinam modo cum modo sine febre invenisse, adnotavit; quod et interpres elementorum artis medicae Cullenii asserit[3]). *P. Frankius*[4]), *Heimius*[5]) et alii idem perhibent; et *Reilius*[6]), qui quum calidum tum frigidum hydropem scarlatinam subsecutum egregie descripsit, et alterum ab altero stricte sejungit. Hic vero modo de calido dicendum erit.

Florentini medici aegrotos secundum simplicem Sydenhami methodum curabant, quorum vero vigesimo primo morbi die plurimi in hydropem incidere saepeque animam exspiravere. Cadaveribus exploratis inflammationis signa circa pleuram, pulmones, septum transversum, intestina et renes invenerunt[7]). Medela antiphlogistica postea

---

1) *Plenciz* tractatus de scarlatina. Viennae 1762. pap. 14. — conf. pag. 123, 129, 130.

2) *Kreysig* Abhandlung von dem Scharlachfieber. Leipzig 1802. pag. 26.

3) *Wilh. Cullen* Anfangsgründe der prakt. Arzneikunde. 3te Aufl. Leipzig 1800. Tom. II. pag. 123.

4) l. c. Libr. III. pag. 75, 76.

5) in Hufelands Journal p. p. B. 34. St. 3. pag. 71.

6) über die Erkenntnifs und Kur der Fieber. Halle 1815. B. V. pag. 124, 125.

7) *Burserius* l. c. pag. 82.

tentata eventum salutarem saepius sortiti sunt quam antea. His observationibus eae auctorum vix commemoratorum similes sunt, neque *Plencizius*, *Frankius*, *Heimius* aliique certa inflammationis criteria post mortem non animadvertere [1]).

An vero morbus omnibus in exemplis vera inflammatione nitatur? non assentior. Fuerunt nempe epidemiae, quibus hydrops acutus characterem vere inflammatorium non adeo frequenter retulit, et excitantibus et roborantibus sanatus est. *Werlhofius* [2]) suis aegrotis plerumque lac sulphuris praescripsit, quod si non protinus profuerat, chinam; quibus feliciter aegrotos curavit. *Frankius* [3]) dicit: *ipse hic, acutus fere, a scarlatina hydrops, nunc jam sat manifestis inflammatoriae febris reliquiis incidit; nunc debilitatem a morbo inductam majorem prodit.* Sunt, qui contra scarlatinae hydropes secundarios opium, moschum, vesicatoria similiaque laudent, et *Kreysigius* [4]) affectiones eam excipientes in sthenicas et asthenicas dispescit. Verum enim vero in scarlatina hydrops acutus, cui status subest vere inflammatorius, nostris temporibus crebrius observatur, quam asthenicus. Quibus autem a conditionibus hujusce hydropis natura pendeat, infra disputabimus, ubi de morbi genesi locuturi sumus.

Hic vero interest causas recenseri, ex quibus in purpura scarlatina tanquam occasionalibus hy-

---

1) *Kreysig* l. c. pag. 74. — *Horn* in seinem Archiv p. p. 1816. pag. 272. — *Abercrombie* l. c. pag. 130 etc. — *Gairdner* l. c. pag. 110. — *Twedie* l. c. pag. 113.

2) *Werlhof* op. om. Edit. Wich. pag. 732.

3) l. c. pag. 76.

4) l. c. pag. 167 et 179.

drops acutus proficiscatur: utrum talis causa in unoquoque casu ad eum inducendum necessaria sit, an fortasse scarlatina ipsa ad id sufficiat. Diligentissimi et sagacissimi naturae scrutatores in eo consentiunt, ut, regimen perversum haud raro occasionem praebere, et praeter alia *refrigerium*, quo processus criticus in cute offendatur, potentiam sistere nocentem, affirment[1]. Haud mediocris exstat exemplorum numerus, quae dicta mea contestantur, nec ullum, qui aliqua in scarlatinae epidemia circa aegrotorum curam est versatus, praeterire judico, aegrotos sui observantissimos, puerosque, quibus plurimum attentionis a parentibus praestitum est, prae ceteris hoc malum tutum habuisse, qui contra intempestive aëris accessum subierunt, saepenumero hydrope acuto temeritatis poenas dedisse.

Quinimo *Diaeta prava*, quae ad sordes gastricas causam subministravit, ista hydropis species, quibusdam testibus, est provocata[2].

Contra etiam hydropem sub febre scarlatina acutum, habitu, aetate, anni tempore et tempestate posthabitis, inter congruam aegroti curam, diversasque et optimas medendi rationes interdum incurrisse, iidem auctores saepius recensiti testatum faciunt. Recognitis variarum epidemiarum historiis, alteram prae altera ad hydropem opportunam fuisse extra dubitationem ponitur. *Heimius*[3], per multos annos in factitanda medicina versatus, talem epidemiarum differentiam inspexit.

---

1) *Plenciz* l. c. pag. 16. — *Burserius* l. c. pag. 79. — *Horn* l. c. pag. 269. — *Reil* l. c. pag. 186. — *Heim* l. c. — *Kreysig* l. c. pag. 25.

2) *Frank* l. c. Libr. III. pag. 76.

3) l. c.

Scarlatina ipsa igitur, cujus natura in totum nos latet, procul dubio ansam ad morbos ei succedentes praebeat necesse est, ita ut praeter illam non requiratur alia nocens potentia. Propter haec theoria curae convenientissima condi videtur, si morbos purpurae scarlatinae secundarios, duce *Reilio*[1]) praeclarissimo, ipsius exanthematis partem sistere judicamus, quod illis affectionibus circuitum suum emetiri moliatur, simul atque regimine et diaeta perversis, vel curantis vitio, vel denique ipsis naturae viribus oblique agentibus, quominus circulum describat, impeditur. Tutissima et optima igitur via ad noxas sequentes arcendas ea sit necesse est, qua aegrotus ab omnibus decursum scarlatinae impedientibus defenditur, qua succurritur, si naturae vires ad processum elaborandum vel non sufficiunt, vel ea ipsa ad consequendum finem minus apta legit auxilia: et quid multa? expedita exanthematis cura, et victu et medicamentis praestita.

Nonne praeter scarlatinam cetera quoque exanthemata acuta hydropem acutum gignunt? Post *rubeolas*, nisi eas pro scarlatinae varietate habeas, hydrops observabatur. *Morbillis* eum nunquam supervenisse quidam dicunt [2]), quamvis alii morbillos suppressos in hydropis acuti causas referunt [3]). Quum omnis fere exanthematis suppressio ad inflammationem viam sternere valeat, quae exsudationem contrahit, morbillos ab hydrope acuto excipi posse haud improbabile videtur. Talia vero exempla rarius quam in scarlatina incidere consuerunt, et pulmonum morbi, glan-

1) l. c. pag. 185.

2) *Heim* l. c. pag. 105.

3) *Horn* l. c. pag. 269.

glandularum tumores vel oedema chronicum saepius e morbillis originem trahunt.

Non alia quam harum cutis efflorescentiarum *erysipelatis* [1]) est ratio, cujus subitam a cute fugam internarum partium inflammatio, ac insimul hydrops acutus sequitur. Quod potissimum evenit, cum erysipelas repulsum organa serosa infestat, et habitus ceteraeque conditiones hydropis origini favent. Neque hic omittere oportet observationem notatu dignam cum *Burserio* ab *Josepho Pratolongo* [2]) per litteras communicatam. Hic quidem post parotitidem Genuae epidemicam nonnullis laborantibus supervenisse refert oedema acutum, ad instar ejus quod in scarlatina observatur, cum febre nempe acuta magnaque respirationis difficultate.

Neque acuta modo *exanthemata*, sed etiam *chronica* ad hydropem activum acutum causam suggerere dicunt [3]), e. g. scabiem, tineam, quinimo pedum sudores, quibus homo assuevit, suppressos vel impeditos. Haec mala, efflorescentia eorum impetuose laesa et praepedita, alia quadam in parte novas producere affectiones in confesso est; quae quum indolis esse inflammatoriae possint, praetereaque suppresso exanthemate secretio morbosa larga et gravis saepe auferatur, haud improbabile videtur, talia ab iis posse praestari, si ceterae circumstantiae non obversantur. Quod et experientia probat. *Medicus* [4]) hunc hydropem e

---

1) *Harles* l. c. pag. 392. — *Frank* l. c. Libr. VI. pag. 330. — *Reil* l. c. B. II. pag. 403.

2) *Burserius* l. c. Vol. III. pag. 334.

3) *Harles* l. c. pag. 393.

4) *Medicus* Sammlung von Beobachtungen. pag. 383.

scabie suppressa observavit; *Hirschelius*[1]), exanthemate chronico aquae phagedaenicae ope suppresso, hocce malum se deprehendisse tradidit; uterque hydrops adeo acutus et activus fuit, ut sanguinis detractionibus opus esset. *Frankius*[2]) hydrothoracis celeriter in puella post tineam temere suppressam oborti mentionem fecit, quem vesicatoriis capiti admotis ad sanitatem perduxit.

§. 8.

Bacherus[3]) et *Stollius*[4]), me judice primi hydropem ex *plethora coortum* satis probabiliter dilucidarunt. *Plethoricum* hunc hydropem *Stollius* vocitat, et *Grapengiefserus*[5]) de hoc morbo dissertationem laude dignam nobis reliquit. Quamquam gratiae viris illis debentur pro iis, quae egregie tradiderunt, scire tamen licet, jam ab medicinae antiquissimis auctoribus hydropem e sanguinis abundantia interdum originem trahere, ejusque curam venae sectiones requirere, esse observatum et nobiscum communicatum. *Hippocrates*[6]) pater haec jam docuit: *quod si* (aeger) *difficultate spirandi teneatur, anni tempus aestivum fuerit, aetas vigeat, et vi-*

1) *El. Hirschel* Briefe über verschiedene Gegenstände aus dem Reiche der Arzneiwissenschaft. Berlin 1771. Theil III. pag. 52.

2) l. c. Libr. VI. pag. 329.

3) *Bacher* l. c. §§. 64. 66. 67. 68. 69. 109.

4) in Rat. med. Tom. III. pag. 300.

5) *Grapengiefser* dissertatio inauguralis de hydrope plethorico. Goettingae 1795.

6) *Hippocratis* opera. Edit. Pierer. Altenburgi 1806. de rat. vict. in morb. acut. Sect. IV. (Tom. II. pag. 267.)

rium robur adsit, sanguinem e brachio detrahere convenit; Galenus [1]) venae sectiones laudat, si hydrops a plethora ortus fuerit. *Paulus Aegineta* [2]) *Galeno* congruenter proponit: *in intercute vero, per venae sectionem, maxime si ob haemorrhoidum aut menstruae purgationis suppressionem conflata fuerit affectio.* — *Alexander Trallianus* [3]) hydropem *e temperie calida* ab eo *e frigida temperie* distinguit, et sub quibusdam conditionibus sanguinem in hydrope mittendum suasit. Simili modo *Avicenna* [4]) super hydrope exposuit, cum ea vero moderatione sanguinis missionem commendat, ut hyposarcham e profluviis sanguinis suppressis ortum esse oporteat. *Forestus* [5]) aeque methodum antiphlogisticam laudavit, si hyposarca ab haemorrhagiis suppressis originem duxerit, et puellae hydropicae tali ratione sanatae mentionem

---

1) *Galeni* in Hippocratem de vict. rat. in morb. acut. Comment. Edit. Bas. 1542. Tom. VI. fol. 558 et 559.

2) *Pauli Aeginetae* de re medica libr. sept. Cornario med. phys. interp. Libr. III. Cap. 48.

3) *Alexander Trallianus* (de re medica libri duodecim Joanne Guinterio Andernaco interprete. Libr. IX. Cap. IV.) haec habet: *cui autem anasarca nomen est, is venaesectionem interdum requirit, ut qui ex sanguinis frigidi copia nascatur. Ac frigiditatis quidem ratione illa non indiget; sed quoniam copiae detractio naturam levat, ut haec minorem illum effectum facile superet, non alienum sed rationi consentaneum est, hic quoque venae sectione uti. — — In quibus igitur et maxima est obstructio, et inflammatio scirrhosa, viresque obstructae, in his vacuationem sanguinis ante omnia alia praesidia, praesertim valentia, adhibeto.*

4) *Avicennae* libri in re medica omnes. Venetiis 1664. Libr. III. Fen. 14. Tract. 4. Cap. 14. fol. 780.

5) *Foresti* observationum et curationum medicinalium sive medicinae theoriae et practicae Libri XXVIII. 1602. fol. 248, 251. & observ. XXXIII.

fecit. *Lazarus Riverius*[1]) hisce adstipulatur, adjecta monitione, ut venae sectiones sub morbi modo initio adhibeantur; et *Sponius*[2]) quendam hydrope obsessum viginti venae sectionibus servatum esse auctor est. §ho 2. recentiores auctores adduxi, qui de hydrope activo quaedam adnotarunt, quorum aliqua pars huc referenda est; nec non illae observationes, quibus hydrops vel post epistaxin criticam vel aliam haemorrhagiam ad sanitatem celeriter revertebatur. *Fabricius Hildanus*[3]) morbi historiam viri cujusdam triginta annorum tradidit, qui hydrope et coecitate correptus, post narium haemorrhagiam ab hydrope expediebatur. *Balmius*[4]) similes memoriae prodidit observationes. *Saviardus*[5]) puellam, cui quater per paracentesin aqua incassum detracta esset, post haemorrhoidum fluxum restitutam animadvertit; et *Frankius*[6]) foeminam, aliis a medicis paracentesi repetitis vicibus petitam, venae sectione ad pristinam valetudinem reduxit.

Ex omnibus jam comprehensis modo sequitur, hydropem plethorae acquiescere et ab illis proficisci posse, a quibus plethora originem petere valeat *). Indeque e. c. accidit, ut puel-

---

1) *Lazari Riverii* opera medica universa. Lugduni 1679. pag. 330.

2) *Sponii* aphorismi novi Sectio V. aph. 82.

3) *Fabricii Hildani* observationes. Cent. I. obs. 50.

4) *Balme* in der Sammlung auserles. Abhand. f. prakt. Aerzte. B. XIII. pag. 515.

5) *Saviard* in Richters chir. Bibliothek. B. 7. pag. 682.

6) l. c. Libr. VI. pag. 325.

*) Itaque ad hydropem evitandum peritissimus *Fr. Hoffmannus* (med. rat. T. IV. pag. 458.) haec commendat

lis facies intumescat quando menstruae purgationis tempus in propinquo est, aliis ea infletur, si pedes in aquam frigidam demittant [1]).

An vero plethora per se ad hydropem acutum producendum sufficiat, dubito, cum ne unum quidem apud auctores exemplum prostet, quo plethora sola accusanda fuerit, et quum ubi haec sola in causis est, morbus utique decursum chronicum servet. Transitus quidem plethorae in synocham facilis est, et uterque status morbosus maximam habet affinitatem ac similitudinem, nihilominus tamen eos segungi oportet.

Quae itaque ad plethoram causam suppeditant eamque producunt, causas hydropis acuti quodammodo haberi licet. Ejusmodi sunt: sanguinis profluvia quibus corpus adsuevit suppressa, victus lautus et liberalis, somnus nimius, temperamentum tranquillum et placidum, vita sedentaria aliaque. Quando ad hanc plethoram potentia quaedam accedit nociva, sive talis sit qua supprimatur cutis transpiratio, sive exercitationes nimiae et virium immodica intentio, sive exaestuationes a motu, potus irritantis abusu obortae, sive similia, quibus sanguinis orgasmus incressit, activus et acutus hydrops conflari poterit. Qui quatenus a plethorico differat, in diagnosi docebo.

---

dat: *si in sequiori sexu ante quinquagesimum annum plane cessat menstrua per uterum purgatio, quod iis potissimum foeminis evenit, quae otio somno et vitae sedentariae nimium indulgent, vel sollicitudine et moestu diutius afficiuntur, juvat tum ad praeservationem tum ad curationem sanguinem mittere, corpus movere, perigrinari et locum mutare.*

1) *Mezler* l. c. pag. 20.

§. 9.

Denique hic *cordis morborum* mentionem fieri non alienum est. Qui in cordis fabrica consistunt morbi id peculiare habent, ut in ultimo stadio magnam ad aquae accumulationes anomalas propensitatem prae se gerant [1]). Neque solum sub cordis fabrica laesa haec tam constanter observantur, sed etiam in morbis ejus *acutis*, et in carditide oedema faciei certum et fere pathognomonicum signum praebere dicunt. Huic et paulo post manuum et pedum oedema accedit, quod secunda vel tertia morbi die incursat eumque per totum decursum comitatur [2]). In corporibus hominum cordis inflammatione extinctorum *Frankius* [3]) praeter hydropericardiam magnam laticis copiam in pectoris cavo invenit, neque luculenter evinci potuit, an hae collectiones pneumoniam vel pleuritidem coexistentem secutae sint. Qui cum hydropes, oedemata nempe faciei et extremorum, eundem quem eorum causa, morbus cordis acutus, cursum teneant, optimo jure hydropibus acutis adnumerari licet.

Ratio, qua talis hydrops oriatur, ex experientia patet, quod omne fere sanguinis circulationis impedimentum facile hydropem producit. Hoc modo graviditas extremorum inferiorum hydropem mulieribus plethoricis ciet, qui haud raro sanguinis detractionem exigit [4]); idem faciunt ovarium maxime inflatum, durique tumo-

---

1) *Kreysig* über Herzkrankheiten. B. I. pag. 213.

2) Ibid.

3) l. c. Libr. II. pag. 176 et 177.

4) *Bacher* l. c. pag. 182.

res in regione axillari; et *Lowerus* [5]), circumligata in cane vena cava, intra paucas horas ascitem oriri, et in alio, venis jugularibus interligatis, anasarcam omnibus in partibus, quae supra vincula positae erant, excitari, et tum lacrymarum tum glandularum salivalium secretionem valdopere augeri vidit.

Caput III.

Naturam et morbi genesin exponit.

§. 10.

Sollicito et trepido quasi animo hoc caput adgredior, probe intelligens quam arduum et difficile pensum mihi imponatur, quod autem silentio non praetermittendum est. Quamquam nullam recipit dubitationem, quin nostra de quorundam morborum natura theoria melioribus quam antea praeceptis physiologicis stabilita sit, physiologia tamen nostra parum adhuc perfectionis nacta est, ejusque praecepta nonnulla adeo incerta et ambigua sunt, ut de plurimis, quibus opinio nostra adstipulatur, minime nobis constet, annon brevi tempore interjecto aliter atque aliter sentire nos oporteat. Quae cum ita sint, nec vitae processum a nobis esse perspectum gloriari liceat,

---

5) tractatus de corde. Lugduni Batavorum 1708. pag. 123 et seq.

cujusvis fere morbi theoria plus minusve conjecturalibus nititur argumentis. Sed vituperari oportet, qui propter tenebras huic materiae offusas omnem operam ac studium inane esse et irritum sibi persuasit. Nostrum est omnia rite examinare et veritatis vestigia persequi, ut, quantum fieri potest, ei propiores feramur. Quibus enim laboremus cum intelligimus, perfectiores evadimus, et ipsa scientia est, quae, quantum desit, bene agnoscit, et id saltem commodi praestat, ut veram cognoscendi viam nobis haud intercludat.

Talis quidem nostra est ratio, ubi hydropis acuti causam proximam oriendique modum mente agitamus. Permulta in hac disciplina occulta adhuc et abscondita viros ingenii acumine longe me superiores, quibus naturam quadantenus inspicere licuit, expositturos et illustraturos esse sperabimus. — Hydrops acutus morbum sistit vasorum resorbentium et secernentium: de secretionis vero et absorptionis doctrina physiologiam haud exiguam pathologiae lucem suggerere oportet, qua quam diu destituimur, in explicanda hydropis causa proxima parum contentiones nostrae proficient. — —

Latex omni in hydrope praeter normam accumulatus constans morbi est productum, idemque novis morbis causam praebere potest, et processus morbosi residuum haberi convenit. In cujuscunque igitur hydropis causam proximam interpretando a processu anomalo illo, quo proficiscitur hoc residuum et symptoma perpetuum, ordiamur necesse est. Qui autem processus modo in vasis serosis et lymphaticis latet, eorumque vita ipsa anomala morbum seu ejus proximam causam sistit*).

---

*) Ne in vituperium incurram, adnotare sufficiat, causam morbi proximam eum a me nominari corporis statum, cui

Vita autem vel in utroque illorum vasorum systemate vel modo in alterutro a norma deflectere potest. Siquidem processus vitalis in vasis utriusque generis ita alienatur, ut secernentia praeter modum humores demittant, et resorbentia minus, quam pro corporis integritate par sit, inbibant; — vel vita in alterutro systemate labefactata aequilibrium inter utramque functionem sublatum est, quo facto aut secernentia plus reddunt, quam vi normali resorbentia attrahere possunt; aut resorbentia vasa minus accipiunt, quam pro normali secernentium actuositate resorbeant necesse est.

Ex his non nisi patet, quibus in partibus sub hydrope processus vitalis laboret, neque vero quo modo labefactatus sit. Liceat igitur ea, quibus in genere secretiones augentur et resorptio diminuitur, enucleare, quibus de morbi genesi et causa proxima theoriam postea superstruam.

Intenditur secretio:

1) irritatione organi secernentis aucta; ita infantum suctio lactis secretionem in mammis, et libido seminis praeparationem juvat.
2) Secretio profusa evadit et directa et indirecta organi secernentis debilitatione, qua tonus vitalis diminuitur; tali modo sudores oriuntur colliquativi et ejusmodi diarrhoeae.
3) Vicariatione secretio in aliqua parte copiosior reddi potest, postquam in alia sup-

---

cui symptomatum summa proxime innititur. Reapse itaque idem est quod morbus, qni nil nisi processus est vitalis normalis commutatus. In hoc vero proxima symptomatum ratio latet. Causam igitur proximam exponere perinde est ac morbum ipsum explicare, vel proximam illius potentissimorum phaenomenorum rationem exhibere, vel processum vitae morbosum definire; quae quidem omnia eadem sunt.

pressa est; hocce itinere, cutis functione impedita, diarrhoea rheumatica enascitur; et hydrothorax ob nimis celerem oedematis pedum discussionem, sub quo externa tantum adhibebantur, internorum usus negligebatur[1]).

Resorptio contra diminuitur:

1) si humores non mere serosi exhalantur, quum a vasis resorbentibus serosi latices facilius quam alii accipiantur[2]).

2) Frigore adstringuntur vasa resorbentia et sufficienti resorptioni imparia redduntur[3]).

3) Omnia praeterea, quae ita in haec vasa agunt, ut iis status quodammodo spasticus concilietur, resorptionem diminuere valent.

4) Conditiones profecto cogitari possunt, ex quibus nimia horum vasorum irritatio vel paralysis oritur, quacum vel diminuta vel sublata resorbendi facultas datur. — Annon tales conditiones sub quibusdam inflammationibus adsunt?

Et haec quidem momenta vasis ipsis competunt, praeterea vero alia dantur. Secretio tanto copiosior fieri potest, si nimia laticis ad secernendum idonei copia vasis suggeritur. Sic potus liberalis urinae dejectionem adauget. Iis in morbis quibus normales secretiones non satis procedunt, et forinsecus sufficiens humorum copia advehitur, corpus iis abundat. Quod autem quum abundantiam eliminare conetur, secretiones vicariae et interdum hydrops oritur, qui non prius sanatur, quam secretiones normales ad justam

---

1) *Frank* l. c. Libr. VI. pag. 355.

2) *Burdach* Physiologie. Leipzig 1810. §. 233.

3) Ibid. §. 225.

viam redactae sint. Talis lotii retentio vomitum vel sudorum urinosum vel ejusmodi hydropem ciet; cutis transpiratio impedita aeque hydropem provocat. Aqua tepida animalis (canis) arteriae cuidam siphonis ope immissa, totum corpus sensim inflatur et hydropicum fit; glandulae intumescunt et ex naribus humor glutinosus ac viscidus destillat [1]). Sunt morbi, quibus pro ceterorum copia nimium humoris serosi paratur, et sanguis missus magnam seri partem ostendit; illi autem vasis serosis immodicam seri copiam suppeditant, ita ut fiat secretio modum excedens. Quod prae ceteris observatur iis in morbis, quibus concoctio gravius offenditur, vel respiratio valde laborat, omnibusque cachexiis, quae hydropem haud raro adliciunt.

Quod ad vasa resorbentia attinet, praeter laticis extravasati indolem quoque copia ejus in resorptionem effectum omnino exserere videtur. Lex physica est, quod omnis vis, si effectum prodere debet, major et potentior sit necesse est, quam id quod est debellandum. Quae lex huc etiam trahi potest, et vasa resorbentia nimia humoris extravasatione vincuntur et impedimento superantur. Vel etiam latice paululum comprimuntur, neque tantum recipere possunt, quantum recipiunt, ubi exhalatio modum non excedit. Partim etiam hac de causa tum demum medelae interdum locus praestatur, et urina copiose fertur, ubi paracentesis ope aquae detractae sunt.

§. 11.

His generalibus praemissis *ad hydropis acuti ipsius causam proximam ejusque originem* ani-

---

1) *Hales* Statik des Geblüts. Halle 1748. observ. 14. pag. 105.

mum meum attendo, ut eas, quantum per me stat, dogmata superiora amplexus, explicem. Hic etiam, ut in capite antecedente, ab eo hydrope incipiam, qui inflammationis exitus est. — Phlogoses quando in hydropem terminantur, typhosae sunt (§. 6.), quamvis quibusdam in exemplis antea verae fuerint. Eaedem magis minusve ad veram paralysin accedunt, et exsudatio adaucta hoc in casu *paralysi quadam*, *i. e. energia diminuta et propemodum extincta*, *nec non incitabilitate eodem modo depressa*, *ut brevibus dicam*, *vitalitate diminuta partis inflammatae*, *et nominatim vasorum exhalantium* proficisci videtur. Vasa sunt in statu atonico, ita ut humores per ea sine insigni impedimento penetrent, fortasse haud secus ac in febre diaphoretica maligna Anglorum et in colliquativis diarrhoeis repente irrumpentibus. Neque vero existimo perfectam et exquisitam vasorum serosorum adesse paralysin, siquidem in hac vix quoque vasorum sanguiferorum et nervorum paralysis in parte inflammata abesset, quacum, e. g. in pulmonibus resolutis, mors consciscatur. Nonne forsitan iis in casibus, ubi in ipso exspirationis momento hydrops oriri videtur perfecta vasorum exhalantium resolutio incidit? — Quaenam hic vasorum resorbentium est ratio? Utrum eorum actio aeque ac secernentium extinguitur? an per exsudatorum copiam modo eorum functio extenuatur et evertitur? — Humores alienati, spissi sunt, et miculas repraesentant; quod vero non modo ex debilitate nasci, sed partim quoque ex vita vasorum proprie mutata proficisci videtur: hujus mutationis modus vero ignoratur.

§. 12.

Longe autem alia sese res habet ceteris sub conditionibus quibus hydrops acutus oritur, hu-

jus enim partium affectarum processus vitalis alia et diversa ratione ab norma aberrat, quam ejus, qui modo comprehensus est. Quod potissimum in eo evenit, *qui cum inflammatione topica vel febri nascitur.*

Morbus, ait *Cas. Medicus* 1), quidem hydrops fuit, si formae fidem haberi liceret, si autem curiosius indagares, ille febris inflammatoria fuit. Cui sententiae aliqua ex parte accedimus, morbique nomen, febris hydropica, eatenus ei respondet, quatenus febris inflammatoria simul adest. Attamen semper hydrops est, neque hydrops febris esse potest vel inflammatio, quae autem hydropem efficere valent; et si sola methodo antiphlogistica hydrops sanatur 2), inde nonnisi patescit, solam naturae autocratiam his in exemplis, causa hydropis remota, ad eum compescendum satis esse efficacem. Neque id quidem perpetuum est, interdum potius post sanguinis detractionem utique remedia necessaria sunt, quae vasorum resorbentium vim et actionem juvant et augent 3). Praeterea hic hydrops in chronicum et afebrilem terminari potest, qui etiam methodo antiphlogistica curandus est 4).

Hic itaque hydrops ad febrem quodammodo refertur, vel ad inflammationem topicam, ceu effectus ad causam, et, si quis distinctius judicare velit, in corpore, cui hic hydrops subest, duo sunt morbi, hydrops nempe et febris vel inflammatio. Hae quidem propriis causis in §ho 7.

---

1) Sammlung von Beobachtungen. pag. 387.

2) *Medicus* l. c.

3) *Abercrombie* l. c. pag. 130. — *Stoll* praelect. p. 80 et 82. — *Schmidtmann* l. c.

4) *Müller* in Hufelands Journal p. p. B. 4. pag. 473.

positis nituntur, quae propter peculiarem vim, quam hoc in corpus exserunt, inflammationem vel febrem ad hydropem idoneas reddunt.

Cum ita sit, me explicare modo oportet, quatenus processus vitalis in vasis et resorbentibus et secernentibus alienatus sit. *Quorum agendi facultas aucta est; actione vere aucta insigniunt, sub qua incitabilitas intenta et energia saltem non est diminuta.* Secretionem auctam non statu adynamico niti, inde apparet, quod illa aequis passibus cum inflammatione vel febre synochica procedit, et cum his etiam crescit et decrescit, et inflammatione vel febre soluta, facile plerumque ad normam reducitur[1]). — Porro notare oportet, phaenomena hydropica incrementum recipere, si morbus remediis incitantibus, drasticis et diureticis calidis curetur; quinimo hic hydrops in chronicum conversus horum remediorum usum non permittit[2]).

Quae vero partes systemati nervoso in hac aucta actione tibuendae sunt? Nescimus, cum compertum non habeamus, quid in inflammationibus hoc systema sibi vindicet. Neque vasa resorbentia statu anomalo detineri improbabile est. *Soemmeringius* posuit[3]): *in quavis inflammatione a causa vel interna vel externa oborta, etiam vasorum absorbentium systema praeter sanguiferum laborare, locumque inflammatum minus resorptioni aptum reddi verosimilli-*

---

1) *Schmidtmann* l. c. — *Abercrombie* l. c. — *Dutil* in Ern. Ant. *Nicolais* Sammlung von Beobacht. Rezept. und Kurarten. pag. 397.

2) *Sponius* l. c. — *Bacher* l. c. §. 61. — *Frank* l. c. Libr. VI. pag. 324. 327. — *Hirschel* l. c. pag. 56.

3) de morbis vasorum absorbentium corporis humani. Trajecti ad Moenum 1795. pag. 1.

mum videtur; dum enim tali in loco sanguis vel vasa sua distendat, vel extra vasa adsit, absorbentia vasa ab eo sanguine pressa et occlusa officio omnino fungi nequeunt. Quod eo magis ad veritatem respondere videtur, si consideramus, quantopere diuresis tali in hydrope interdum augeatur post primam venae sectionem, qua phlogosis sublata est. An etiam, excepta hac pressione, dynamico modo vasa absorbentia sub inflammatione labefactantur? quaedam irritatio spastica in iis fortasse adest; nonnulli auctores, vena incisa, sopientia hoc in hydrope valdopere laudant [1]).

Ad ipsum formationis processum hujus acuti hydropis transeo, et duplicem statum, ut ex hujus morbi diagnosi patebit, mihi distinguendum censeo; illum scilicet, quo inflammatio localis est e. g. pleuritis, et eum, quo hydrops nascitur cum febre et sine topica inflammatione, qui plurimis in exemplis intercus est.

Primo de eo, qui cum inflammatione est, exponam. Quaevis inflammatio cum nimia humorum accumulatione in parte affecta conjuncta est, et oscillatione in arteriis aucta humores majori vi et copia, quam par est, earum finibus exhalantibus advehuntur; vasa ipsa capillaria in statu irritationis et actionis intento versantur, quas ob rationes plus humorum, quam alioquin, ubi est justa relatio inter vim vasorum et materias in iis contentas, transmittunt. Vasa autem absorbentia tam copiosam exhalationem compensare nequeunt. Arteriarum parietes in genere multum humorum dimittunt, si sanguis in iis

1) *Medicus* l. c. pag. 389.

stagnat et impeditur, quominus libere per eas decurrat [1]).

Qua vero ex causa non in omnibus inflammationibus oritur hydrops acutus? In antecedentibus (§. 6.) exposui, quae transitum inflammationis in hydropem in universum juvent et huc referenda sint. Si inflammatio partis superficiem obsidet, facilius quam si parenchyma praeprimis infestat tales gignuntur exsudationes. Tunicarum serosarum inflammatio hunc transitum amat; nec non eae, quae ex causa aliqua occasionali, qua simul alia secretio supprimitur, ut puta refrigerio, originem duxere. In genere scire licet, illas inflammationes majorem, quam ceteras ad hanc complicationem cum hydrope acuto proclivitatem habere, quibuscum status quidam spasticus, causa occasionali inductus, existere videtur: ejusmodi vero sunt, quae ab refrigerio incipiunt, tum eae quoque, quae stimulo morboso specifico oriuntur, qui simul affectionem spasticam vasorum resorbentium sistere valet: huc spectant inflammationes in scarlatina, post impetigines, in arthritide aliaeque similes. Quas phlogoses facilius quam reliquas cum hydrope conjungi, experientia docet. (Conf. §. 6. et §. 7.)

Haud dubie etiam inflammationis gradus quam plurimum ad hujus hydropis acuti originem facit. Neminem enim latet, sub conditionibus deinceps propositis sat frequenter inflammationes provocari, neque tamen hydropem acutum elaborari. Pleuritidem v. c. ex refrigerio corpori vel plethorico vel erethico subesse, nec ullam aquae collectionem contrahi, inter omnes constat;

---

1) Conf. *Autenrieth* Physiologie §. 694 seq.

constat; quinimo secretio imminuta et siccitas quasi in pectore est, sicut in plurimis inflammationibus hypersthenicis secretio in universum nimis parca observatur. Hunc tamen inflammationis gradum accuratius definire non licet, quum denominationibus graduum inflammationis singulorum fere destituamur; ex effectu suo, exsudatione nempe, et ex phaenomenorum inflammationis ceterorum fastigio nobis patet.

Ceteroquin probe sentio, haec omnia parum sufficere ad vindicandam necessitatem, qua hydropem acutum juxta inflammationem nasci oporteat, id quod vix sperare licebit, priusquam notitia accuratior de inflammatione ipsa et nervorum tum efficientia ad inflammationem, tum affectione nobis paretur. Nervis ad provocandum hydropem aliquas partes tribuendas esse, vero simillimum videtur, quum eos magna facultate ad augendas secretiones pollere compertum habeamus.

Alter status, quo hydrops acutus activus sine topica inflammatione et cum febre modo, plerumque synochae speciem referente, nascitur, magis adhuc priori de origine sua nos ambiguos et incertos tenet. Maxime est hydrops intercus, qui cum signis sat manifestis congestionum ad pectus, et imprimis pulmones, apparet, et vel in corpore plethorico vel erethico — spastico ex refrigerio aestum subsecuto originem duxit. Prima morbi signa ea plerumque sunt, e quibus febres incipere solent, aestus nempe et frigus, paulo post vero anasarca incursat, ita ut ratio febris aetiologica non plane eadem sit quam inflammationis. In hoc casu hydrops multo magis causae a foris acceptae originem debet, quam febri inquilinae. Hoc potissimum eo elucescit, quod talis hydrops in corporibus similibus absente febre nonnunquam elaboratur, aliisque in exemplis fe-

bris hydropi supervenit, hic ei praecedit[1]). Mihi maxime probabile videtur, refrigerio et subitaneo et vehementi, dum cutis vita aestu praevio aucta est, vasa exhalantia in statum majoris irritationis, in spasticum sic dictum, permutari. Vasa exhalantia spasmo, uti medicis dicitur, ita occluduntur, ut in superficie cutis transspiratio fieri nequeat. Propter hanc cutis irritationem major humorum copia in eam evocatur, quaevis enim irritatio attrahit. Qua cum irritatione impediatur, quominus vapores ad summam cutem vehantur, introrsum tendunt, ad cutis telam cellulosam, vel simul ad pectoris et abdominis cavum, dum vel pleura vel peritonaeum cutis functionem quadantenus praestant; aut circulatio difficilis et praepedita per pulmones fieri solet, quod ex symptomatibus morbum stipantibus argumentari licet. Quando inflammatio localis iis in casibus non oritur, praeter dubium inde deducendum est, quod nullum corporis organon prae ceteris tanta irritabilitate imbutum est, ut sanguinis aditus ad id fortior atque vehementior quam ad cutem sit et inflammatio excitetur. Huic morbi theoriae multum accedit probabilitatis ex signis tali hydrope conjunctis, quae missa faciam, quum in morbi diagnosi de iis expositurus sim.

§. 13.

Supra jam posui, (§. 7.) *hydropem scarlatinae febris* potissimum statu inflammatorio niti, qui sub hujus febris decursu irregulari nascitur. Origo igitur hujus hydropis quum ex iis, quae de

---

1) *Abercrombie* l. c. pag. 123. observ. 1 et 3. — *Beibeder* in Nicolais Sammlungen p. p. pag. 398.

hydrope cum inflammatione dicta sunt, explicari debeat, adjecisse sufficiat, hac in febre laticis accumulationem eo facilius sub inflammatione oriri, quod prae ceteris ad hydropem contrahendum scarlatina per se prona est, si circuitus ejus et dijudicatio vel causis internis vel sua ipsius malignitate offenditur. Quapropter autem hic morbus illam proclivitatem ostendat, nondum evinci potest, cum nostra de contagiorum et miasmatum natura tam exigua et imperfecta sit notitia. In omnibus natura aliena et sibi inimica expellere et anomala ad integrum reducere conatur. Ubi scarlatina ad normam decurrit vis naturae medicatrix per morbum ipsum, exanthema, hunc finem consequitur. Ubi autem sub hoc salutari conamine impedimenta vel inquilina vel externa et ineluctabilia ei obviam veniunt, aliam viam eamque anomalam deligit, ita ut pro cute, in qua alioquin ejus vis cernitur, alia organa cutis functioni proxima, e. g. partes seroso lymphaticas, sibi desumat. Sin vero cutis functiones non nimis turbantur, neque humorum in eam affluxus nimis impeditur, neque incitabilitas alio in organo praevalet, et si simul fortasse in vasis cutis exhalantibus status quasi spasticus est, quem ex refrigerio profectum esse licet, fieri potest, ut processus morbosus ad partem aliquam internam non incumbat, sed in cute subsistens hydropem intercutem pariat.

Attamen plurima super hac re nobis sunt obscura, neque dirimere audeo, quam ob causam febris scarlatina sub eodem decursu, in corporibus similibus, sub iisdem potentiis externis nunc hydropem, nunc glandularum tumores, interdum nervorum graves affectiones vel inflammationes sine hydropica exsudatione inducat.

Hydrops in scarlatina acutus non semper hypersthenicam indolem refert, nonnunquam asthe-

nicus est et excitantia requirit, ut profligetur [1]). Unde haec diversitas? Si morbi secundarii febris scarlatinae non modo regimine perverso oriuntur, sed morbi prioris etiam partem sistunt et ab imperfecta dijudicatione dependent, verosimillimum videtur, insequentium morborum naturam ab ea febris antecedentis dependere. Scarlatinam inflammatoriam hydrops acutus hypersthenicus excipit; si vero illa asthenica fuit, hic quoque non aliam naturam expromit.

Quomodo hydrops acutus post exanthemata chronica suppressa gignatur ex dictis illis sat patet, nec uberiori interpretatione indiget.

Caput IV.

Morbi diversitates et divisiones.

§. 14.

Hydrops acutus hic morbi genus quoddam constituit, cujus species erundae sunt. Potentissima vero et ad curam efficacissima divisio ex processu vitali anomalo vario fluit. Ut omnes fere morbi acuti quoad vitam laesam duas in species dividuntur, ita et hydrops acutus dispescitur, quippe qui, ut ex superioribus patet, par-

---

1) Conf. §. 7. — *Hufelands* Journal d. prakt. Heilk. 1819. 4. St. pag. 33.

tium affectarum statu vel hypersthenico vel asthenico nititur.

Proinde hydropem acutum duas potissimum in species diducere licet, scilicet in *hypersthenicum* et *asthenicum*; quorum *ille in aucta incitabilitate et satis valida energia consistit*, nec alius est, quam qui *Cas. Medico*[1]) febris hydropica, *Grapengiessero*[2]) hydrops plethoricus acutus, *Burserio*[3]) calidus et aliis inflammatorius audit[4]); *hic vero cum diminuta semper energia conjunctus tum hac ipsa tum quodam incitabilitatis statu, qui variis in exemplis varius esse potest, nititur.*

Hanc incitabilitatem sub energia magis minusve imminuta bene considerari ad curam magni ponderis est. Dantur exempla, quibus incitabilitas prae energia multum eminet, et in eo ipso ex parte hydropis causa latet. Ita in hystericis hominibusque cute admodum sensili praeditis subito hydropem ortum et aeque fere celeriter interdum sanatum esse observatum est. Auctores hanc speciem *hydropem spasticum* seu *erethicum* vocare solent[5]). Contra vero et incitabilitas et energia aliis in hydropis acuti exemplis adeo pessumdantur, ut debilitas sic dicta torpida existat.

Hydropis acuti igitur species principes sunt:

---

1) l. c. pag. 383.

2) l. c. §. 3 et 4.

3) l. c. Vol. II. §. XC.

4) *Haase* l. c. pag. 451. — *Frank* l. c. Libr. VI. p. I.

5) *Haase* l. c. pag. 453.

1) *Hydrops acutus hypersthenicus seu inflammatorius;*
2) *Hydrops acutus erethicus;*
3) *Hydrops acutus torpidus.*

Differentiis minus essentiabilibus hujus morbi, quas autem in curationibus minime negligere oportet, illas accenseo, quae pro loco, quem morbus tenet, statuuntur: divisio igitur in hydrocephalum, hydrothoracem et rel.; porro eas varietates, quae causarum occasionalium diversitate conduntur: hydropem rheumaticum, arthriticum, exanthematicum et alia; deinde quae ex decursu morbi promanant: hydropem vagum et fixum; et denique quas laticis varia natura suppeditat. Nondum enim eo pervenimus, ut dirimere et evincere possimus, quam ob rationem alias hydrops oriatur lymphaticus acutus, alias serosus; cur e certa scarlatina hydrocephalus neque hydrothorax nascatur; quomodo differat processus vitalis in organo infestato, si hydrops hyperstenicus a scarlatina vel si a refrigerio proficiscebatur. — Sequente in capite id modo agam, ut de tribus hisce hydropis acuti speciebus disseram.

Caput V.

Diagnosis morbi.

§. 15.

Ante omnia necesse est criteria proponantur, quae communia sunt, *quibus omnis hydrops acutus insignit*, et a chronico potissimum discrepat.

Gravissimae et hydropis acuti potentissimae eae sunt notae, quae vel ex *febri comitanti* vel *statu inflammatorio* fluunt. Chronicus vero hydrops etiam cum febre conjunctus esse potest; ultimo scilicet ejus stadio febrem accedere licet, quae lentam repraesentat, et eandem cum hydrope habet necessitudinem quam cum plurimis morbis chronicis, quibus in eodem stadio supervenire solet: est febris symptomatica a majori mali corporis habitus gradu profecta. Vel in chronico hydrope non lenta febris est, sed vehemens et satis acuta, quae vero tali in casu paulo ante mortem cum inflammatione alicujus nobilioris partis irruit, pulmonum e. g. aut intestinorum. Denique tertia via in corpore hydropico febris oriri potest, proprio nempe incitamento febrili, quae autem febris hic morbum secundum neque cum hydrope stricte conjunctum sistit.

Itaque in hydropis acuti diagnosi multum interest, ut ratio symptomatum, quae aquae extravasatio praebet, ad febrem teneatur, ut febris ipsius natura et phaenomenorum inter se successio pervestigetur. In illis casibus, quibus hy-

drops alicujus inflammationis internae exitus est, febris propter phlogosin jam ante signa hydropica luculenter expromitur, nec, si inflammatio hoc exitu terminatur, remittit [1] *). Itidem hydrops acutus, qui vel totius corporis vel alicujus partis habitu inflammatorio nititur, persaepe ab febre incipit, quam post breve notae hydropicae sequentur [2]. Ita etiam in scarlatina de hydrope comparatum est, si febris exanthematica fortasse jam desiit vel remisit [3].

Dantur vero etiam observationes, quibus morbus a signis hydropicis initium fecit et febris insecuta est; quod in hydrope plethorico non febrili interdum fit, si novus corpori injicitur stimulus, vel aegrotus incitantibus remediis, diureticis calidis et drasticis, tractatur [4]. Neque utique omnes febris rationes ad hydropem acutum medico considerandas hic explicare licet;

---

1) *Frank* l. c. Libr. II. §. 131. — *Stoll* rat. med. Tom. III. pag. 55. — *Reil* l. c. B. II. pag. 295.

*) In febre vero hydrocephalica, qua pulsus medico non raro imponit, neque phaenomena constantia sunt valdeque variant, pulsus sub exsudatione incipiente plerumque tardiores evadunt. — Conf. *Formey* l. c. pag. 22. — *Frank* l. c. Libr. VI. pag. 187. — *Haase* l. c. pag. 350. — *Henke* Handbuch zur Erkenntniſs und Heilung der Kinderkrank. Frankfurt am Main 1809. pag. 200. — *Wichmann* Ideen zur Diagnostik. B. III. pag. 63.

2) Observ. *Schmidtmannii* et *Mulleri* l. c. — *Menghini* experimenta de largo et diuturno cremoris tartari usu ad hydrop. summopere utili; in de Bonon. scient. et art. inst. atque acad. comment. Tom. IV. observ. 3. pag. 265.

3) *Burserius* l. c. T. II. §. XC. — *Frank* l. c. Libr. III. pag. 75—76. — *Withering* in d. Samm. auserl. Abhandl. B. V. pag. 261.

4) Cas. *Medicus* l. c. observ. 1 et 2.

ex pyretologia vero generali fluunt, et sine dubio medicus exercitatus et dignoscendi peritus saepissime intelliget, quomodo febris se habeat ad hydropem, utrum ita ut in acuto solere proposui, an ita ut in chronico hydrope.

Ex more febris est continua remittens, quae sub vesperam increscit, mane vero descrescit [1]. In hydrope scarlatinam febrem insecuto subinde remissiones febris minus evidentes et febris vehementissima est; nec non si hydrops inflammationis organi interni, pulmonum, cordis, intestinorum, exitus est. Quibus in casibus pulsus non raro aeque frequentes sunt ac sub vigore inflammationis et scarlatinae inflammatoriae [2]. Contra in aliis febris comitans tam levis est, ut luculentissimae et distinctissimae observentur remissiones; sunt imo, qui, si pulsum respicias, vix febriles haberentur, nisi sitis, cutis temperies valde aucta, aegroti conditio, totusque morbi decursus ejusdem essent naturae, quam in ceteris hydropis acuti speciebus [3]. — Omnes secretiones tali sub febre plerumque diminuuntur et alienantur. Cutis et lingua siccae et aridae, et haec vel albida vel sordibus oblimata esse solet. Alvus adstricta, raro normali similis est; parum urinae et vulgo lateritiae, turbidae, jumentosae, ex rubicundo fuscae, fere cruentae emingitur [4]. Quae symptomata pro causarum

---

1) *Harles* l. c. §. 3. — *Schmidtmann* l. c.

2) *Reil* l. c. B. V. pag. 124. — *Abercrombie* l. c. pag. 129. observ. 3. — *Twedie* l. c.

3) *Abercrombie* l. c. pag. 124. oberv. 1. et pag. 131. observ. 3.

4) *Bacher* l. c. pag. 183. — *Withering* l. c. — *Burserius* l. c. Tom. II. §. XC. — *Frank* Libr. III. pag. 75. — *Reil*

et morbi natura differunt; e. g. in hydrope sub inflammationis finem inducto saepius paulo ante mortem et cutis et intestinorum secretiones in colliquationes vertuntur.

Cetera signa ipsa hydropica pro mali sede aliisque circumstantiis discrepant. Generatim tantum monendum est, ea cum rapiditate quadam et impetu irrumpere; nec longo tempore opus est, ut hydrops iste provocetur et ad altius evehatur; *Stollium* intra paucas horas eum vidisse ortum jam retuli. In exemplis ab *Abercrombieo* nobiscum communicatis aeque hydropis signa saepius magna cum celeritate intrarunt.

Ex his omnibus haec praestantissima discrimina diagnostica inter hydropem acutum et chronicum derivare licet:

1) Hydrops acutus plerumque statu vel inflammatorio vel febrili arcte conjunctus est; minime chronicus.

2) Celeriter decurrit hydrops acutus, simili modo, quo ceteri morbi acuti, quamquam interdum protrahi et in chronicum abire potest. Chronicus autem tam certo decursui non adstringitur, lento passu procedit, nec alio modo decrescit saepiusque recidivus fit.

3) Haud raro acutus crisi vera dijudicatur, quae in chronico multo rarius et fere praeter consuetudinem evenit [1]).

His de generali diagnosi praemissis ad specialem transibo.

Reil l. c. pag. 125. — *Müller* l. c. pag. 474. — *Heim* l. c. pag. 71. — *Gairdner* l. c.

1) *Rush* l. c. pag. 164. — Act. nat. curios. Dec. II. ann. 3. observ. 170. — *Balme* l. c. pag. 519. — *Schmidtmann* l. c. pag. 523. —

§ 16.

Omnes medici, quibus saepius morbus observatus est, in eo consentiunt, *signorum hydropis acuti hypersthenici* notatu dignissimum esse *pulsum* [1]. Characterem, quem inflammatorium vocare solent, omnino prae se fert: plus minusve *plenus* et *tensus* est, violenter digitum admotum ferit et difficilis est compressu. Frequentia ad febris gradum se conformat, maximaque est, si organon aliquod nobilius internum ab inflammatione simul correptum est [2]. Ut in aliis morbis vere inflammatoriis, haec pulsuum natura ceteris morbi symptomatibus respondet, ita ut, si pulsus collabitur et mollior tardiorque evadit, illa simul remittant [3].

Attamen dantur quoque aegroti, quorum pulsus hanc indolem non tam manifeste ostendunt, multoque minus pleni, sed parvi vel inaequales quinimo intermittentes sunt. Tales praesertim inveniuntur, si vera et exculta subest pneumonia et morbus e pulmonibus orsus est [4]. Contra et hydrothorax chronicus nihil inflammatorius pulsus nonnunquam sat duros exhibet [5].

---

1) *Bacher* l. c. §. 109. — *Rush* l. c. pag. 163. — *Medicus* l. c. pag. 385. 389. — *Hirschel* l. c. pag. 52. — *Stoll* in praelect. pag. 75. — *Harles* l. c. pag. 345. — *Fischer* in Horns Archiv p. p. B. IX. Heft 2. pag. 243. — *Engelhard von Marten* im Museum der Heilkunde. B. IV. pag. 95. —

2) *Abercrombie* l. c. observ. 5. — *Schmidtmann* l. c. — *Harles* l. c. pag. 346.

3) *Hirschel* l. c. pag. 55 et 56. — *Schmidtmann.*

4) *Stoll* in praelect. pag. 75. — *Abercrombie* l. c. pag. 123 et observ. 4. — *Engelhard von Marten* l. c.

5) *Josephi Quarin* animadversationes practicae in diversos morbos chronicos. Viennae 1786. pag. 126.

Sanguis tali sub pulsu et hoc in acuto hydrope e vena detractus vix non eandem repraesentat speciem quam in febribus inflammatoriis veris, et crusta pleuritica obductus est [1]).

Simul aegrotus sitim conqueritur insatiabilem; lingua plerumque sicca et pura, vel albido muco obducta, rarius sordida invenitur. Omnes secretiones alienatae et diminutae sunt: alvus rara et sicca est; urina parcius fertur, et saepe pro modo reliquorum hydropis symptomatum nimis diminuta, eaque turbida, jumentosa vel coloris intense rubri descendit [2]). In hydrope inflammatorio scarlatinoso interdum per aliquot dies non mingitur, et, si redditur urina, adeo rubra est, ut sanguine commixta esse videatur; in gradu summo merus fere sanguis pro lotio ejicitur, qui vasis fundum petit, sedimentum e fusco nigrum dejicit, quae sub renum inflammatione esse solent. Hic quoque interdum evenit, ut lotii molimina et difficultates per aliquot dies jam adsint, priusquam prima hydropis signa prorumpunt [3]).

Inter haec aegrotus, si affectio aliquanto gravior est, pessime habet, corpus ab altero latere ad alterum jactat, multa conqueritur, vigiliis cruciatur, et residens in lecto miseras trahit noctes. Caput saepe dolet, facies turgescit et rubet, saltem nihil cachectici exhibet, oculi splendent et calent et vigorem ostendunt [4]).

---

1) *Medicus* l. c. pag. 386. — *Hirschel* l. c. — *Rush* l. c. pag. 164. — *Stoll* rat. med. Tom. III. pag. 300.

2) Conf. observ. saep. recensitae.

3) *Frank* l. c. Libr. III. pag. 75. — *Reil* l. c. B. V. pag. 104.

4) *Bacher, Dutil, Fischer* l. c.

Semper fere, si malum quidem alicujus momenti est, respiratio simul magis minusve laborat, et frequens, difficilis, quinimo laboriosa evadit. Dolores circa pectus vexant, qui sub profunda inspiratione increscunt; neque aeque facile in utrumque latus cubare potest aegrotus; interdum cordis palpitatio adest, et tussit aeger sub auctis doloribus, denique sputa reddit et omnino pneumonia affectum imitatur[1]). — Nonnunquam pectoris affectio non utique inflammatoria esse videtur, sed minus vehemens ejusdemque indolis, ut in febre inflammatoria simplici apparet[2]). Haec hydropis species in universum ita comparata est, ut morbi incipientis notae a respiratione affecta et tussi incipiant, quas ceterae deinde sequuntur.

Plerumque est hydrothorax vel anasarca, multo rarius ascites. Ascites inflammatorius, licet a *Stollio*[3]) non observatus, tamen occurrit[4]), praecipue in febre scarlatina, quamvis in ea etiam rarius quam hydrocephalus, hydrops intercus et pectoris[5]). Etsi hydrothorax sit, signa tamen anasarcae, tantum abest ut desint, ut luculenter se expromant. Oedema nempe primo faciem et palpebras inflat, indeque ad truncum, ad extrema superiora et novissime ad crura et pedes extenditur; rarius a pedibus hydrops intercus hypersthenicus incipit, ita ut ab inferioribus ad superiora procedat. Tumor maxime tactu durus ac

---

1) Observ. *Abercrombici, Schmidtmannii, Cas. Medici,* alior..

2) *Bacher* l. c. pag. 182. — *Hirschel* l. c.

3) *Stoll* rat. med. l. c. pag. 302.

4) *Schmidtmannii* et *Dutilii* observ.

5) *Frank* l. c. Libr. III. §. 295. — *Heim* l. c. — *Withering* l. c. pag. 261.

tensus est; dolet interdum etiam et rubet, et digito prementi magis quam aliae oedematis species renititur, et vix ab ejus pressione vestigia recipit[1]).

Si tamen medicus sub his sat manifestis et constantibus notis de hydropis alicujus natura dubitet nec, qua ratione eum curet, compertum habeat, ex remediorum usu vel secundo vel adverso certior fieri potest. Omnia enim excitantia, cathartica, purgantia et diuretica calida magis obsunt quam prosunt, et anxietatem et febrim adaugent; relaxantia contra et emollientia et refrigerantia ex usu sunt; nil vero venae sectionibus efficacius est, et celeriorem et meliorem mali mutationem producere valet[2]).

In exemplis ambiguis denique ad aegroti habitum respiciendum est: sunt autem corpora robusta, lacertosa et plethorica, qualia inflammatio amare consuevit, quae quidem protinus post aliquam injuriam, imprimis refrigerationem, in morbum incidunt; vel quibus sanguinis profluvia necessaria et consueta cessabant. Sunt viri, qui, quum haemorrhoidibus fluentibus antea laborarent, per aliquod tempus iis vacant; aut foeminae vigente adhuc aetate, quibus vero menstrua purgatio non respondet; aut mulieres circa mensium cessationem, quae vero vitam lautam degunt, multum sanguinis adhuc parant, nec venae sectionibus utuntur[3]). — Hydropem scarlatinosum acutum maxima cum probabilitate hypersthe-

---

1) *Frank* l. c. Libr. VI. pag. 323. — *Reil* l. c. B. V. pag. 124. — *Engelhard von Marten* l. c. observ. 1. — *Abercrombiei* conf. observ.

2) *Sponius* l. c. et observat. cet. plur.

3) *Stoll* in praelect. et rat. med. l. c. — *Engelhard von Marten* l. c. Obs. 1, 3, 4. — *Frank* l. c. Libr. VI. pag. 323. — *Fischer* l. c. — *Fr. Hoffmann* in med. rat. P. IV. Cap. XIV. pag. 453. — Conf. §. 7.

nicum habere licet, ubi forma descripta indutus, post scarlatinam quae et ipsa sthenica curam nimis antiphlogisticam non experta est, oboritur.

Si hydrops hypersthenicus inflammatione organi ignobilioris nititur, febrem deesse licet, imprimis si corpus insensilius et phlegmaticum est. Hic juxta aquae accumulationem phlogosis signa animadvertuntur, quae medico in diagnosi eruenda succurrunt. —

In adumbrando hydrope acuto sthenico in eo elaboravi, ut ejus imaginem seu formam quasi normalem delinearem, descriptionibus, quae ab auctoribus praecipuis concinnatae sunt, in usum vocatis. Vix autem morbum tam luculenter excusum, signaque in uno aegroto omnia haec inveneris. Si praestantissima vero conjuncta sunt, si aetas et corporis et anni constitutio affectionum inflammatoriarum origini respondent, si causa occasionalis istiusmodi est, quae prae ceteris hunc hydropem producere consuevit, uno alterove deficiente symptomate non impediri oportet, quominus morbus pro sthenico habeatur. Attamen in exemplis est, ut aegre exploraveris, an sit hydrops quo aeger detinetur, id quod e. c. in hydrothorace fieri potest, qui inflammatione pulmonum adhuc praesente fulcitur nec anasarca simul stipatur; cum quidem hydrops pectoris per se, nisi ad altiorem gradum evectus, difficilis sit cognitu, quanto majorem recipit difficultatem is, qui cum pneumonia conjunctus est. Hic enim id potissimum est agendum, ut inspiciamus, quantopere respiratio sit laesa, quae pro febre et dolore nimium conflictatur; nec non urina tum alienata tum diminuta medicus in morbo dignoscendo uti potest*).

---

*) De hydrope plethorico quaedam adspergere liceat, ac differentiam hunc inter et sthenicum modo descriptum

paucis

§. 17.

In paucioribus tantum medicorum operibus, quibus ad conscribendam dissertationem usus sum, [illegible] de

---

paucis exponere. Sunt exempla hydropis chronici, qui per annos tenuit, nullis remediis cessit, tandemque nullis praesidiis, nisi sanguinis detractione curatus est. Foemina quaedam oedemate capitis et brăchiorum et febre et doloribus rheumaticis vexabatur; adhibitis diureticis oedema praeter id, quod palpebras tenebat, disparuit. Nono vero graviditatis mense pleuritidem passa est, qua, sanguine e vena satis detracto, palpebrarum oedema omnino sublatum est[1]. — Alia quadragenaria hydrope intercute infestata per plagam cruri illatam vehementem inflammationem contraxit. Omnibus huc usque contra hydropem frustra tentatis, propter cruris inflammationem vero sex unciis sanguinis missis, magnum levamen mulier protinus sensit, et per decem dies urinae sat copiosae fluxere. Quum tandem menstruorum tempus incidisset, tam largum et utile urinae profluvium est inductum, ut post aliquot septenarios integerrima mulier evaderet[2]. Huc etiam observationes supra positae (§. 8.) *Fabricii Hildani, Balmei, Frankii* aliorumque spectant. Curationi non magno foret incommodo si plethoricus medico pro hypersthenico acuto imponeret, vel vice versa, quum uterque methodum requirat antiphlogisticam, ac ille paululum modo provehatur necesse sit, ut in hunc abeat. Notas, quibus ab asthenico differt, sistunt pulsus pleni et validi similisque oedematis indoles, quam in hypersthenico acuto esse dixi[3]) Quae cum sint signa utrique communia, ad distinguendum alterum ab altero inservire nequeunt. Si itaque morbos sejungere velis, potissi-

1) *Abstrophius* in d. Sammlung auserl. Abhandl. p. p. B. XIV. pag. 324.

2) *Adam Hunter* in the Edinb. med. and surgic Journ. No. LVII. (Salzburger Zeitung 1819. Band. 2. No. 27.)

3) *Frank* l. c. Libr. VI. pag. 324—326. — *Bacher* l. c. §. 65.

de *hydrope acuto erethico* paucula modo tradita reperi. Ejusmodi exempla fortasse minus frequenter sunt obvia, vel magis ad hypersthenicum accedunt, vel, quod crebrius incidit, facile in torpidum et chronicum hydropem abeunt. In morbo cognoscendo minus ad phaenomenorum hydropicorum naturam, quam ad causas, e quibus morbus profectus est, respiciendum erit, quippe quae plerumque tales sunt, quae omnino statum erethicum efficere soleant, nisi aegroti habitus alium sistat necesse est. Praeterea neque negligere oportet febris indolem, neque corporis naturam.

Corpora sensiliora potissimum hic hydrops corripit, quae ab omni stimulo facile moventur et in febrem conjiciuntur; homines prae ceteris hypochondriaci et hysterici ad spasmos agitandos proni eum perpetiuntur. Nec ea corpora hoc malum aversatur, quae propter fabricam et cutis naturam rheumaticis affectionibus promptius patent[1]). His in hominibus subitaneum refrigerium, vel aëris perflatu vel potu frigido produc-

potissimum pulsuum frequentiam videre oportet, qui in plethorico afebriles deprehenduntur. Praeterea nihil inflammatorii animadvertitur, et aegroti tranquilliores sunt neque tam vehementer excruciantur, magisque ad eorum similitudinem accedunt, qui aliis morbis chronicis implicantur, sic ut extra lectulum versari quinimo deambulare possint. Hinc lento passu progreditur diuque eundem gradum tenere potest, nisi graviores accedunt potentiae nocentes, ut e commemoratis exemplis apparet. Hydrops contra hypersthenicus acutus sub hac forma non diu persistit, et vel mox majores inducit noxas hominemque extinguit, vel chronicam induit naturam.

1) *Frank* l. c. Libr. VI. pag. 335, 336. — *Haase* l. c. pag. 454.

tum, et vix non omne incitamentum morbosum hydropem hunc acutum provocare potest, siquidem eo et actio secretoria nobilior offenditur, et talis status spastico-erethicus in systemate vasorum lymphaticorum nascitur[1]). Qui quidem hydrops acutus celeriter praeterire et vagari solet ab altera ad alteram partem, nec non doloribus articulorum rheumaticis stipatur[2]). Febris comitans, si qua est, non tam luculentam refert naturam quam in hydrope sthenico, neque raro febrium rheumaticarum speciem praebet, quod imprimis evenit, si ex refrigeratione morbus originem duxit. Si ad reagentia therapeutica respicere velis, opium, digitalis purpurea omniaque, quibus sensilitas nervorum et vasorum diminuitur, ex usu esse solent[3]). Interdum modica venae sectio prodest, praecipue si corpus sanguinis plenius est, quocirca non omnis hydrops misso sanguine decrescens hypersthenicus habendus est, cum constet inter medicos, in morbis et topicis et universalibus erethismo innixis antiphlogistica, quinimo sanguinis detractiones optimo jure et cum fructu adhiberi posse [4]).

§. 18.

Hydropem acutum torpidum illum comprehendo, qui ceu inflammationis exitus nascitur. Nullam dubitationem recipit, quin hujus morbi diagnosis difficilis sit et quibusdam in casibus vix

---

1) *Haase* l. c. pag. 453 et 478.

2) *Mezler* l. c. pag. 20.

3) *Haase* l. c. pag. 462.

4) *Reil* l. c. B. I. pag. 553 et 557.

dirimi possit. Exempla, quibus morbum suspicamur frequentiora fere sunt, quam quibus eum extra omnem dubitationis aleam positum videmus. Quod potissimum evenit, quando sub organi nobilioris inflammatione valde provecta systema nervosum simul adeo labefactatur, ut aegrotus ipse non satis et luculenter gravamina percipiat, nec ea omnesve sensationes nobiscum communicare queat.

Signa praestantissima et potentissima ad hunc inflammationis exitum cognoscendum ab iis repetuntur, quae hydrops secundum locum, quo humor congeritur, subministrat. Quae vero, quum a dissertationis consilio abhorreant, praetermittam. Iis potius acquiescere me oportet, ex quibus generatim inflammationis in hydropem acutum transitum colligere licet. Quae quidem sunt:

Inflammatio supremum attigit gradum, quo dijudicatio exspectatur. Pro solutione sperata vero latices effunduntur, quacum exsudatione phlogosis symptomata pathognomonica remittunt; dolor inflammatorius diminuitur et hebescit, aegrotus pressionem et molestiam modo conqueritur. Neque, ut sub vera inflammationis solutione fieri solet, febris cum dolorum decremento remittit, sed constat [1]). Neutiquam oriente hydrope acuto functio partis integrior et liberior cum remissione dolorum evadit, sed magis adhuc offenditur. Encephalitide affecti, si deliriis furibundis antea agitabantur, sopore opprimuntur; pneumonici, quibus in alterutrum latus cubare licuit, ad neutrum et vix supini decumbere possunt, maxima est pectoris oppressio et continua anxietas, animi deliquia accedunt, ungues et labra lives-

---

1) *Frank* l. c. Libr. II. pag. 21.

cere incipiunt, et aeger residens vix spiritum trahit [1]). Interdum torpor brachii alterutrius quin etiam ejus oedema oritur, vel circa dorsum tumor hydropicus assurgit [2]). Pedes frigent omniaque mortem praenuntiant imminentem.

Si in abdomine aquae contrahuntur eaeque nec nimis spissae et copiosae accumulantur, neque tympanite venter simul extenditur, impositis digitis aquae fluctuatio sane percipi potest. Inter haec vero urinae examen non negligendum est, utpote quod ad morbi diagnosin eruendam praesidium suppeditare possit.

§. 19.

Notatu dignissima *de hydropis acuti decursu* et exitu paucis complectar necesse est, cum plurima huc spectantia in antecedentibus jam posita sint. Inter omnes hujusce mali species hydrops torpidus ex inflammatione obortus celerrime decurrit, increscit et morti viam sternit. Rapidus iste gressus a partis infestatae nobilitate atque dignitate, nec non ab aquae copia pendet; rarius lentiori passu morbus decurrit. (Conf. §. 6.)

Alia est erethici ratio, quippe qui diuturnior illo evadere et chronicum decursum sibi adsciscere potest, imprimis si medicus eo deceptus alium subesse putat et perperam eum tractat. Cura autem convenienter instituta interdum brevi tempore solvitur, siquidem transspiratio cutis paulo post redintegratur et nimia incitabilitas

---

1) *Stoll* rat. med. Tom. III. pag. 55. et VII. pag. 215.

2) *Reil* l. c. B. II. pag. 517. — *Frank* l. c. pag. 148.

diminuitur [1]). Haec quoque species, ut repetam, nonnunquam vaga est et locum mutat.

Quod ad hydropem acutum hypersthenicum attinet, vel celerius, vel pro circumstantiis tardius decurrere potest. Si rite ei subvenitur intra breve temporis spatium sanatur, nec nisi duobus, tribus vel quatuor septenariis opus est [2]). Interdum dijudicatur phaenomenis criticis, profluviis sanguinis aliisque excretionibus criticis [3]). Nec tamen semper tanta celeritate res expeditur; morbus ignoratur et perperam curatur, vel per se adeo gravis et malignus est, ut tam bene et cito dijudicari nequeat [4]). Inflammatio tanta esse potest, ut mortem inducat, vel structura partis laesa, conglutinationes aliaque mala secundaria relinquantur, ex quibus deinde novi morbi originem capiunt [5]). Et si etiam haec minus eveniunt, tamen sub leviori inflammationis gradu hypersthenicus acutus in chronicum abire potest, qui, si praeterea aegroti habitus bonus neque functiones nimis laesae sunt, aliquamdiu sthenicus manet, vel, contrariis sub circumstantiis, naturam asthenicam mox induit [6]).

Hydropis acuti ab exanthematum aliarumve affectionum suppressionibus oborti decursus ab illorum ad cutem reditu partim dependet. Illa si restituuntur, hydrops celerius evanescere solet, quam si minus revertuntur. Attamen hy-

---

1) *Haase* l. c. pag. 454 et 462.

2) *Fischer* l. c. pag. 243. — *Abercrombie* l. c. plur. observ.

3) *Harles* l. c. pag. 396.

4) *Abercrombie* l. c. pag. 122. 123.

5) *Ibid.* pag. 128. 129.

6) *Müller* l. c. — *Harles* l. c. pag. 397.

drops ex scarlatina acutus non omnino celeriter terminatur: saepe longius trahitur et aegre curationi promptae locum praestat, ut aliis in exemplis mors statim in propinguo sit [1]).

§. 20.

Praeter generales rationes, quae circa cujuscunque *morbi prognosin* habendae sunt, in hydrope acuto praeprimis species consideranda venit. Quivis hyperstenicus morbus, ceteris paribus, meliorem quam asthenicus admittit prognosin; quod propterea etiam de hyperstenico hydrope dictum est, et *Hippocratis* [2]) effatum: „*hi autem morbi* (hydropes nempe) *celeriter difficiles fiunt, celeriterque omnes increscunt*“ in hydropem atonicum ab inflammatione profectum quadrat. Si in organo nobiliori talis exitus cietur, et multum laticis effunditur, morbus ex more letalis est [3]). Hydrocephali acuti ultimum stadium rarissime sanationem recipit. Exsudatio his in casibus difficulter debellatur et vasorum resorbentium actuositas ita augetur, ut celeriter eliminetur aqua. Naturae violenta praesidia, quae singularem et novam viam patefeceret, ut humor expelleretur, praeter consuetudinem habenda sunt.

Aeque non raro salutis spes frustratur hydrope acuto, qui febrem scarlatinam excipit. Is

---

1) *Heim* l. c. pag. 72. — *Kreysig* l. c. pag. 166.

2) de morbis Libr. II. Cap. XIX. Edit. cit. Tom. II. pag. 145.

3) *Frank* l. c. Libr. II. pag. 54 et 55. — *Reil* l. c. B. II. pag. 322 et 660. — *Stoll* rat. med. Tom. III. pag. 54 et 53.

subinde cito hominem tollit, imprimis si sub hydrocephali vel hydrothoracis forma occurrit. Hic morbus, etiamsi minus rapidum persequitur decursum, tamen est malum subdolum et malignum, quod cito in pessimum vertitur. Hydrops intercus, nisi cum aquae internis accumulationibus conjunctus, generatim levior quam ceterae species est, et facilius curae cedit. Attamen semper cerebrum et pulmones observandi sunt; quae partes, si simul corripiuntur eorumque functio gravius offenditur mala sunt auspicia. Ab ipsa etiam epidemiae scarlatinae indole nonnihil periculi dependet, siquidem non unaquaeque morbos aeque difficiles secundarios ostendit, quam ob rem inveniuntur, qui eos mitiores se observasse affirment[1].

Hydrops acutus erethicus utplurimum non tanti est momenti, quanti species supra recensitae; nec, si apte curatur, reliquiis pernitiosis inhaerescit. Si crises occurrunt eo major est sanationis spes. Regimine vero et medela ad ejus naturam non conformatis, si vel ipse aeger ad hydropem et atoniam pronus est, in chronicum asthenicum interdum transit. Neque ignorare oportet, in hydrope vago irritationem morbosam, cui ille innititur, ab externis partibus ad internas transferri posse, quo facto periculum intenditur[2].

Praesagium in hydrope hypersthenico acuto in his vero positum est: an medicus serius an maturius accedat, utrum ante ejus adventum homo jam diu conflictetur an minus. Qui ubi serius vocatus est, pejus est, quia inflammatio ple-

---

1) *Frank* l. c. Libr. VI. pag. 368. — *Heim* l. c. — *Kreysig* l. c. pag. 26. — (Conf. §. 7. —)

2) *Haase* l. c. pag. 454. 462. 479. — *Fischer* l. c. pag. 245 et 246. —

rumque altiorem jam tenet gradum, nec tam facile, ac si ab initio congruenter curata esset, solutionem perfectam largitur[1]). Deinde probe teneamus necesse est, hydropem tanto periculosiorem evadere posse, quoniam propter circulationem impeditam obstacula et stagnationes partis inflammatae et hinc novae causae ad hydropem provocandum emanant. Nec hoc in hydrope febris gradus negligendus est, si inflammatio topica manifesta deesset. Optimum vero est, si sanguinis criticae et spontaneae excretiones oriuntur, si cum his febris remittit, si multum urinae fertur ceteraeque secretiones ad normam redeunt, et potissimum si respiratio liberior evadit[2]).

1) *Abercrombie* l. c. pag. 130.

2) *Fr. Hoffmanni* med. rat. l. c. pag. 461. — *Medicus* l. c. pag. 389. — *Schmidtmann* observ. l. c. — *Frank* l. c. Libr. VI. pag. 369. — *Harles* l. c. pag. 397. — *Abercrombie* l. c. pag. 123. —

VITAE

VITAE CURRICULUM

E DECRETO

GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE ADDITUM.

Ego, Carolus Augustus Ludovicus Stachow, postridie Cal. Novembris anni nonagesimi tertii superioris saeculi Berolini natus, primis litterarum elementis institutione privata imbutus, anno MDCCCV discipulorum Gymnasii Joachimici numero adscriptus ibique septem annos praelectionibus usus sum. — Consecrationis actu in ecclesiam evangelicam receptus Mense Octobri anni MDCCCXI alumnus in Seminarium regium medico-chirurgicum, quod Friderici Guilelmi nomine floret, traditus sum et per triennium et Medicinae et Chirurgiae operam navavi hisque interfui praelectionibus:

De Logice, Mathesi, Hodegetica et Psychologia Beat. Kiesewetter; de Chemia, Physice et Pharmacia Cel. Turte et Ill. Hermbstaedt; de Zoologia Cel. Lichtenstein; de Botanice Beat. Willdenow; Anatomiae et practicae et theoreticae ducibus Ill. Rudolphi et Knape studium di-

cavi; Physiologiae praecepta ab Ill. viris Rudolphi, Horkel et de Koenen; Pathologiae generalis et Semiotices a Cel. F. Hufeland accepi; in Pharmacologia mihi duces fuere Ill. de Koenen et Cel. Osann; in arte formulas medicas concinnandi et anthropologia forensi Ill. Knape; in Pathologia speciali Ill. Horn; in therapia tam generali quam speciali Ill. C. G. Hufeland et Cel. F. Hufeland; in Chirurgia Ill. Graefe et Ill. Mursinna; in arte obstetritia Ill. Mursinna et Cl. Kluge; exercitationibus clinicis Ill. C. G. Hufeland et Ill. Graefe et Ill. Horn auspiciis interfui. Denique per sex menses in regio nosocomio berolinensi Caritalis aegrotorum cura me exercui.

Sub initio belli cum Franco-Gallis conflati anno MDCCCXV a summo medicorum praefecto exercitus borussici Monasterium missus in nosocomiis medici primarii munere perfunctus sum ad Mensem usque Aprilem anni MDCCCXVIII. Post haec Seminarii medico-chirurgici supra positi medicus primarius constitutus, Berolinum reverti et rursus omnem curam medicinae studiis impendi.

Tentamine a. d. V Cal. Octobris nec non examine rigoroso Nonis Octobris a. p. peractis Gratiosam Facultatem Medicam, dissertatione rite defensa, summos in utraque medicina honores in me collaturam esse, confido.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Vi sua musculi non modo contrahuntur, verum etiam contracti expanduntur et dilatantur.

II.

Haemoptysis saepius pro phthisis pulmonalis signo quam causa habenda est.

III.

Balnea frigida ad exanthemata acuta in usum vocata incertam quinimo periculosam praebent medicinam.

IV.

Non unaquaeque cranii fissura modiolum requirit.